[illegible]

[RONDINI]

D Paulcian

£275

16


DE SANCTIS MARTYRIBUS JOHANNE ET PAULO, EORUMQUE BASILICA In urbe Roma

VETERA MONIMENTA

Studio & opera

PHILIPPI RONDININI FAVENTINI

Collectâ & concinnata.



ROMAE MDCCVII.

Excudebat FRANCISCUS GONZAGA in via Lata

Approbatione & permissu.

EMINENTISSIMO
CARDINALI
FABRICIO
PAULUTIO
Tituli SS. Johannis & Pauli.

PHILIPPUS RONDININUS
felicitatem.



LURA *sunt, & quidem maxima,* CARDINALIS EMINENTISSIME, *quæ hominem in*

universo terrarum orbe ad immortalem nominis gloriam traducunt. Verum inter cetera prudentum omnium judicio principem sibi vindicant locum vel ipsa literarum studia, vel quæ literatis exhibetur a potentioribus benevolentia. Illi enim hos colunt, & fovent obsequiis, ut sibi ad liberum literarum exercitium præsidia capiant & munimenta: hi vero illos singulari dignantur patrocinio, ut in nobilium disciplinarum cultu amplius vires & animos augeant. In horum numerum te referendum duxi, CARDINALIS

AMPLISSIME, *qui in majora rei literariæ augmenta tantopere incumbis. Teſtis mihi adſit Roma urbs æterna, urbium maxima, quæ ingenti ſuſpicit admiratione quanto ſtudio optimarum artium conſulas ornamento.*

Verum tamen feralis bellorum tempeſtas, quæ jamdudum florentiſſimam provinciarum Italiam exterarum gentium armis iniquo fato conturbat, non modo literarum minuit exercitium, ſed etiam quæ ſunt in excolenda virtute poſitæ laudes, eas prope labefactavit. Aluntur

enim, augentur, & confirmantur pace præclaræ artes, quæ si bellico turbentur armorum tumultu, velut intermortuæ jacent & negliguntur. Habent vero illæ, te Mecœnate, SAPIENTISSIME CARDINALIS, *unde suæ incolumitati provideant. Ad te quippe profugæ ab armis confugiunt: ad exitium declinantes in præsidium te vocant, ut illas in celsissimo amplissimæ dignitatis gradu valido patrocinio tuearis; quæ siquidem in aliis sparsa reperiunt, in te uno collecta admirantur, quamobrem a te uno*

cultus omnes præstolantur & incrementa.

Tantam autem amplitudinem, unde beneficiis admodum prodesse potes, tibi nedum comparavit magni Pontificis CLEMENTIS XI. *gratia, qui te unum ex omni Purpuratorum ordine in administranda Pontificatus mole muneri omnium gravissimo præfecit, nedum excelsius ille in ecclesia locus, in quo suffragatione virtutis, non indulgentia fortunæ collocatus es, sed quidem ingentia illa animi ornamenta, quibus natura, & virtus ipsa te*

cumularunt. Quicquid enim aut admirabiles homines reddit, aut amabiles, in te abunde prædicant omnes: animi celſitudo, invictum robur, præſentia conſilii, ſanctimonia vitæ, ingenii elegantia, ſumma gravitas morum ſuavitate temperata, in omne genus hominum benevolentia, ſingulos in tui amorem rapiunt atque obſervantiam.

Hinc viciſſim omnium oculi in te unum velut in maximum hujus ſæculi decus converſi ſunt, & viciſſim commendant quod in ſacris optimatibus de-

corum est atque honorificum, multiplicis eruditionis studium, & præcipue ardentissimum in sacras literas amorem, de quibus longe lateque propagandis non adeo gravis rerum cura ingentem obruit animum, ut tuis omnino, quæ te premunt, cogitationibus obstet. Alii pro dignitate non satis collaudant summam in negotiis procurandis diligentiam & fidem, modestiam & religionem, clementiam & lenitatem, quam cum altissimo, quem occupas, honoris gradu præclaram inire concordiam mirantur.

At mihi hoc loco, CARDINALIS EMINENTISSIME, *in tua præconia laudesve excurrere consilium non est, quum qualis quantusque sis urbs Roma satis cognoscat. Id prius Colonienses & Poloni experti sunt, qui te quanta cum gloria sedis apostolicæ nuncius Christianam rempublicam procuraveris, admirabundi suspexerunt; quanto vero principum plausu, & publica omnium gratulatione vel in arduis negotiis grave ministerium impleveris, exinde licet arguere, si mente perpendimus quanta*

apud Pontifices gratia, apud exteros fama, apud omnes existimatione ubique clarus fuisti: idque etiam Maceratensis, Firmana, & Ferrariensis ecclesiæ testatæ sunt, quæ quanta hominum commendatione pastorale officium administraveris, adhuc unanimi sensu concelebrant. Neque tamen ita expers judicii ego factus sum, PRINCEPS EMINENTISSIME, *quod existimem fieri posse, ut merito laudes tuas ullo ingenii mei momento illustrem, quæ sua claritate usque adeo fulgent, ut latissime om-*

nibus gentibus illucescant. Si nanque in familiam tuam intueor, cujus majores tibi præluxerunt ad omne decus, tanta est virorum illustrium series, ut eorum virtutem & sapientiam æternis annalibus consecratam nulla unquam delere possit oblivio. Verum inter alios menti meæ obversatur magnus tibi patruus Franciscus Paulutius, quem Pontifex Alexander VII. in amplissimum Cardinalium ordinem cooptavit, vir nimirum nonnisi paucissimis comparandus, qui summæ doctrinæ, eximiæ

pietatis, & inculpatæ justitiæ partes complevit, & sua, qua pollebat, auctoritate, consilio, prudentia, Christianæ reipublicæ multum præsidio fuit, & ornamento. Prætereo Fabricium Paulutium cognominem tuum, virum dignitate, ingenii cultu, integritate morum, & editis scriptis clarissimum, quem Clemens VIII. Pontifex primum Civitati Plebis præfecit antistitem. Prætereo seniorem Franciscum a Johanne XXII. ad Sassinatem ecclesiam assumptum, invicti animi virum, & vindicem ec-

clesiastici juris acerrimum; aliosque prætereo, quos familia tua in utroque ordine tulit viros, de quibus satis posteritas omnis loquetur. Illi ergo mirari desinant, qui Paulutiæ gentis gloriæ & dignitatis ignari, te ante omnes præclarum literarum ornamentum suspiciunt; quum satis superque exploratum sit te esse majorum exemplo ad virtutem natum, susceptum, atque institutum.

Quæ quum ita sint, ECCLESIÆ PRINCEPS AMPLISSIME, *nil prorsus dubito, quin tenue licet opus hoc*

meum de sanctis Martyribus JOHANNE & PAULO, *eorumque basilica, quam in Purpuratorum senatum adlectus in titulum obtinuisti, æquis oculis ac serena fronte, qua complecteris omnes, excipias. Non enim temeritati imputandum esse arbitror, quod illud præ ceteris in tuo nomine velim in vulgus exire: cautum quippe est publica lege, ut operæ alieno fundo inhærentes solo cedant; quamobrem nemo mihi audaciæ notam inurere potest, hunc qualemcunque diligentiæ meæ laborem, quem*

pro tuo illustrando titulo impendi, tibi propterea virtutis omnis & eruditionis parenti vovisse. Perge itaque, CARDINALIS OPTIME, *eo quo soles animi robore rei literariæ prodesse, & literatorum otio favere; qui omnes in tua fide, prudentia, æquitate, & vigilantia multum sibi præsidii positum esse confidunt. Tibi nanque*

Claud. de laud. Stilic. lib. 2.

Hinc amor, hinc veris, & non fallacibus omnes
Pro te solliciti votis; hinc nomen ubique
Plausibus,

cujus inde illustrem famam ad seros usque nepotes transmittes. Da veniam, ORNATISSIME CARDINALIS, *quod laboriosis occupationibus tuis abuti videar, & lucubrationem hanc meam, quam tibi sisto, in tuo suscipe patrocinio. Si enim illam a te haud sperni intelligam, magnum inde mihi honorificum judicium tuum calcar præstabit ad majora inposterum audenda, aliaque id genus vetera monumenta, quum vires suppetant, publico communicanda. Deum interim enixe precor, ut prospere sem-*

per res tibi cedant, ac diuturna vita ſit ad Catholicæ eccleſiæ præſidium, & ad Æmiliæ noſtræ ornamentum.

Dabam Romæ idibus Martii anno a partu Virginis MDCCVII.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri sacri Palatii Apostolici Magistro.

Dominicus de Zaulis Episcopus Verulanus Vicesgerens.

APPROBATIO

Illustrissimi & Reverendissimi Domini

PEREGRINI MASERII

Sanctissimi Domini Nostri CLEMENTIS XI. Prælati domestici,

Utriusque Signaturæ Gratiæ & Justitiæ Votantis,

Sacræ Congregationis Confinium Ditionis Ecclesiasticæ à Secretis,

Et Curiæ Abbreviatoris.

DE *Sanctis* JOANNE & PAULO, *eorumque Basilica* numeris omnibus absolutam historiam à D. Philippo Abbate Rondinino conscriptam, cùm avidè perlustraverim, facultate tributa à Reverendiss. Patre Paulino Bernardinio sacri Palatii Apostolici Magistro, nec verbum Catholicis asperum auribus offendere contigit. Tanta videlicet religione, totque sacris & profanis eruditionibus referta est narratio, ut curiarum priscarum Urbis, & viarum, ejusque ecclesiarum, sive

in ſtructura, ſtationibus, martyrumque reliquiis, & brandeis, ſive in S. R. E. Cardinalibus ejusdem ecclesiæ titulo præfectis adeò ingens lumen addatur; ut templum illud à Juliano Apoſtata uſque ad hæc tempora cladibus, incendiis, & direptionibus Urbis ſuperſtes videatur, ne timeat inpoſterum interitum, dum in hoc opere ſtabit æternum. Unde maximum ſacræ doctrinæ incrementum, reipublicæ literariæ utilitas, & noſtræ provinciæ Æmiliæ decus emergunt: decus quidem & in Auctore, qui ſcribit, & in tanto Principe, cui opus inſcribitur. Romæ decimo kalendas Martii anno à partu Virginis M DCC VII.

Peregrinus Maſcrius utriusque Signaturæ Votans.

IMPRIMATVR,

Fr. Paulinus Bernardinius ſacri Apoſtolici Palatii Magiſter Ordinis Prædicatorum.

BENE-

BENEVOLO ET ERUDITO

LECTORI

Philippus Rondininus S. D.

EN iterum, benevole & erudite lector, alter tibi exhibetur ingenioli mei fœtus, qui ſacræ antiquitatis beneficio donatur publicæ lucis uſura. Hic autem nullus certandi locus, nullaque occurrit cauſſa diſſidendi: nulla hic interpolata diplomata, nullaque adulterina: chronica nulla deturpata, & commenticiis traditionibus admixta. Habes acta ſanctorum martyrum Johannis & Pauli, eaque omnia in unum collecta, quæ eorum attingunt laudem ac nomen, quæ probatæ fidei ſcriptorum auctoritate, quoad fieri poteſt, in bono lumine collocantur: præterea Romanæ eorum baſilicæ vetera monumen-

ta

ta a diuturna oblivione, & ab hominum ſilentio vindicata, quæ nonnihil eccleſiaſticæ vetuſtati explorandæ proficiunt.

Nonnulla alicubi, ut ratio poſtulat, hiſtorica documenta, quæ antiquitatem illuſtrant, adjeci, atque inſuper opus nonnullis aliquando digreſſionibus appoſite reſperſi. In ejus calce cardinalium, qui huic titulo præfuerunt, elenchum ſubdidi chronologico ordine diſtributum, ubi viros leges vitæ ſanctimonia, literarum ornamento, ſplendore generis, rerumque geſtarum præſtantia longe clariſſimos. His interim fruere, laborem meum æqui bonique conſule, & ſi qua corrigenda offenderis, benigna manu corrige.

IN-

INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

CA-

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

DE SS. MARTYRIBUS JOHANNE ET PAULO, EORUMQUE BASILICA In urbe Roma *Vetera Monimenta.*

CAPUT I.

De sanctis Johanne & Paulo, eorumque martyrio.

I. 

ECCLESIA Romana, quæ jamdudum Ethnicorum furente tyrannide, a diuturna trium prope sæculorum captivitate dirissime vexata fuit, & adverso fato miserrime attrita, toto deinde Christianissimi principis Constantini Magni imperio innumeris onusta triumphis reddita pace libera respiravit. Verum Constantino e vivis sublato, postquam in ejus filios orbis regimen migravit, quorum ætate vario

rerum jactata discrimine laboravit, impio demum Juliano ad Cæsareum fastigium assumpto, elapsas sub Ethnicis iterum sensit ærumnas. Scripto itaque committendam duxi infensam nimis in Catholicæ religionis incrementa Juliani Cæsaris mentem, qui vesana percitus indignatione ejus asseclas immaniter exagitavit, quos inter sancti Fratres Johannes & Paulus martyrii palmam emeriti, inter martyrum agmina singulare nomen obtinuerunt.

II. Nulla autem recens ac edictis obfirmata, Juliano Cæsare, in ecclesiam bacchata est Ethnicorum persequutio; ideoque, ut diserte scribit Cardinalis Baronius ad annum trecentesimum sexagesimumsecundum, longe dispar ab aliis fuit: quum videlicet ante illum Ethnici Imperatores Christiana religione vetita, adversus ejus cultores edicta sanxissent ac promulgassent, quibus fideles omnes Diis sacra facere sævitia pœnarum impellerentur. Verum Julianus, ut ex ejus literis apud Baronium satis exploratum habetur, Gentilium colendi Deos vim nemini adhibendam esse putavit, nec invitum quenquam Christianæ fidei desertorem fieri cogebat: ratus, quod pridem usuvenerat, fideles ad martyrium quasi ad alvearium apes volaturos, ut illum proloqui consuevisse testatur Johannes Chrysostomus in sermone octavo de sanctis martyribus Juventino & Maximo, exindeque de

de more majora Christianæ fidei incrementa exoriri. Quapropter quod non exerto palam gladio furens barbaries ob Catholicæ religionis professionem grassata fuerit, idem Chrysostomus ait in pace ecclesiæ fideles Juliano imperante passos esse, hancque propterea nec inter persequutiones adnumerandam auctorum plures existimarunt: verum quidem sanctus Augustinus in libro duodevicesimo de civitate Dei, & Gregorius Nazianzenus in oratione adversus Julianum hanc plane inter persequutiones referendam esse tradiderunt. Hinc Julianus violentiam popularibus insolentiis relinquens, & ipse mitiori utens parte, versute primum jussit Christianos vel a professoribus suis discedere, vel fidem abjurare: discessionem autem eligentibus alias atrociter fingebat caussas, quibus illos necaret. In actis Artemii martyris apud Laurentium Surium ad diem vicesimam Octobris expressum est Julianum ideo illud sanxisse edictum, quo literas Christianis inhibuit, quod Antiochiæ expertus esset Eugenii presbyteri magnam in dicendo vim, ac falsam Deorum religionem confutando. At Sozomenus id evenisse monet ob invidiam in Apollinarem Syrum, Basilium, & Gregorium Cappadocas, aliosque amplissimi nominis Christianos viros, qui Ethnicorum literas apprime callebant: hæc tamen quæque fuerit impia lex ab Ammiano Marcellino, aliisque Ethnicis scripto-

ribus etiam ut improba damnatur. Subdit deinde Gregorius Nazianzenus Julianum in domesticos maxime, atque milites indignatum eos ferali crudelitate vexasse. Quos inter eluxit egregium Helpidii celeberrimæ notæ senatoris martyrium, qui a Constantino Magno prætorii præfectura fuerat decoratus. Is ob præclaram fidei confessionem, ementito vero perduellionis crimine accusatus, primum indomitis equis una cum sociis alligatus atque pertractus, mox in ignem conjectus est; ejusque memoriam commendat martyrologium Romanum die decimasexta kalendarum Decembris.

III. At præ ceteris, qui martyrii coronam, Juliano Cæsare, adepti sunt, recensendos esse postulat argumentum sanctos Fratres Johannem & Paulum Romæ* ex inclyta Ursinorum stirpe prognatos, teste Abrahamo Bzovio in notis circa finem ad vitam sancti Adalberti Ursini episcopi & martyris, quorum alter præpositus, alter primicerius Constantiæ* Augustæ Magni Constantini filiæ in bello contra Scythas cum Ovinio Gallicano duce pro Christianissimo Imperatore nomen militiæ dederunt. Gallicanus, ut habent acta apud Surium ad diem vicesimamsextam Junii, quum adhuc Ethnicorum superstitioni addictus in extremas angustias a Scythis redactus, defectionem sui exercitus pateretur, ideoque de fuga cogitaret, opera ac hortatu Johannis & Pauli se Christo vovit, ejusque suffragante

* Alii perperam in Hispania Sagunto oriundos, Brigantii natos somniarant.

* Alii *Constantinam* vocant.

gante præsidio per angelos prævia cruce ministrato, celebri victoria potitus, Scytharum populos Romano Imperio vectigales adegit.

IV. Interea optima virgine Constantia ab humanis in cœlum sublata, sancti Fratres Johannes & Paulus ex opibus, quibus ab illa cumulati fuerant, pauperibus Christianis alimenta suppeditantes, eos præterea in fidei confessione contra Gentilium vota sedulo confirmabant. Quo ut primum audito Julianus avaritia in sanctorum Fratrum divitias, & iniquo odio in Christianam religionem adductus, illos perdere secum animo statuit. Quamobrem occasionem nactus, ad aulica ministeria, quibus Constantino imperante impliciti fuerant, evocavit. At illi divino afflati spiritu & de tuenda religione solliciti, Ethnici Imperatoris obsequio mancipari constantissime abnuerunt: quod Julianus ægre ferens, decem dierum inducias admisit, quibus potiora caperent consilia, seque Diis thus adolere pararent.

V. Hæc omnia, quæ sanctorum Fratrum historiam spectant apud Surium publicis literis tradita, cum actis omnino cohærent, quæ ex pervetusto & plusquam mille annorum MS. codice Corbejensi ad diem vicesimamsextam Junii Bollandiani vulgavit vir doctus Daniel Papebrochius: quæ tamen quia nondum Italia vidit, Antuerpia Romam submisit ad principem eminentissimum Fabri-

bricium Paulutium ſpectatæ virtutis Cardinalem Conradus Janningus ab eruditione ſingularis opera viri illuſtriſſimi Johannis-baptiſtæ Buſſii nuper apud Belgas apoſtolici internuncii (quem hodie Coloniæ Agrippinæ nuncium & archiepiſcopum Tarſenſem optimus Pontifex Clemens XI. nominavit) ob graviſſimum inter alia Hollandicarum miſſionum negotium de Catholica eccleſia egregie meriti, quod adeo feliciter explevit, ut nedum Romanæ aulæ, & Cardinalium, qui fidei propagandæ præfecti ſunt, ſibi comparaverit plauſus, verum ob ejus in rebus gerendis ſolertiam apud Heterodoxos quoque magnum nomen adeptus ſit. Eadem acta partim ex Vaticano codice, paucis immutatis, tranſcripſit Paulus Aringhius in libro quarto capite quadrageſimoſecundo Romæ ſubterraneæ, quæ inſuper cum ſex aliis per Papebrochium collata ſunt, & præcipue cum Neapolitano & Audomarenſi, quos ſedulo perluſtravit.

VI. Ut autem ſermo redeat ad ſanctos Fratres Johannem & Paulum, qui decendiales inducias in eleemoſynis pauperibus erogandis impendebant: „ Illi miſerunt (actorum ſunt verba) & „ rogaverunt ad ſe venire Criſpum presbyterum, „ & Criſpinianum clericum, & Benedictam venerabilem feminam, quibus narraverunt omnia, „ quæ geſta erant; & obtulerunt ſacrificia in domo ſua, & communionem participantes, Chriſtia-

„ ſtianos ad ſe invitantes, ordinaverunt de omnibus „ quæ relinquere poterant, ac per totos decem „ dies inceſſanter diu noctuque eleemoſynis inſi- „ ſtentes, die undecimo ſunt conſtricti intra do- „ mum ſuam. Quo nimirum die ad illos tacito pede inter noctis ſilentia Juliani juſſu Terentianus prætoriæ cohortis præfectus * militibus ſtipatus acceſſit, qui auream Jovis ſtatuunculam deferens, immerito cultu iis adorandam exhibuit. Tum ſancti Fratres immane ſcelus abhorrentes unam fidem Chriſto Domino polliciti, ſatius duxerunt glorioſum ſubire martyrium, quam Ethnici principis inani aura indigna labe fœdari. Ejusmodi parvula ſimulacra apud Gentiles Chriſtianis domi retentis vel ſponte abditis offerri conſueviſſe, ut eis cultum perſolverent, auctorum nonnulli ſcripſerunt: unde ſanctus Adhelmus Schireburnenſis epiſcopus (quem alii Althelmum vocant) in libro de laude virginum in tomo tertio bibliothecæ patrum editionis Colonienſis vulgato de Victoria virgine hæc habet: „ Porro Eugenius (ait) pronus ejus emenſo „ triennio Capitolii flaminem enixa prece popoſcit, „ ut miſſo ſtatuunculo Dianæ cogeret Victoriam „ apoſtatico ritu ſacrificare. Illa nefandum faci- „ nus exſecrata, & gerulum ſimulacri exoſa, ictu „ gladii interimitur: idemque carminibus ſcripſit in poemate quod exſtat in tomo quinto antiquarum lectionum Henrici Caniſii: „ Itaque (ſequuntur acta)

* Quem *Campidoctorem*, ſeu *Campiductorem* acta apud Bollandianos vocat.

acta) tertia hora noctis transacta Terentianus vo-
„ lens placere Juliano, sicut illi dictum fuerat, sine
„ strepitu famæ puniri eos fecit, foveamque fieri
„ jussit intra domum eorum, in qua quum decol-
„ lari eos jussisset, statim involvi & reponi eos
„ jussit, faciens hanc famam, quod jussu Cæsaris
„ missi fuerant in exsilium: nullum enim nec si-
„ gnum interfectionis eorum inventum est super
„ terram. Hactenus acta.

VII. Capite ergo plexis jussu Juliani Johanne & Paulo, Crispus, Crispinianus, & Benedicta plurimo sensu eorum lamentabantur interitum, & votis omnibus Christum Dominum exorabant, ut sepulcri locum ostenderet. Quo divinitus patefacto, ceterisque fidelibus explorato, ii postmodum in obsequium fidei devotique animi argumentum sæpe sæpius illum invisere consueverunt. Hoc interim frequenti Christianorum cœtu, qui ad Martyrum sepulcrum jugiter accedebant Julianus acriter indignatus, Crispum, Crispinianum, & Benedictam capite mulctari jussit, ut eadem acta testantur: „ Tunc iratus Julianus
„ jussit eos teneri, & capitalem sententiam subire,
„ quorum corpora occulte rapuerunt Johannes,
„ & Pigmenius* presbyteri, & Flavianus vir illu-
„ stris expræfectus Urbis, & sepelierunt eos in
„ domo Johannis & Pauli non longe ab ip-
„ sis &c.

* [illegible] *Pimenium* [illegible].

Verum

VIII. Verum *quum non ſit conſilium*, ut loquitur pſalmiſta, *adverſus Dominum*, fruſtra impietatis viri fidelium ora obſtruere conati ſunt, ne Martyrum inclyta virtus palam ab omnibus ubique gentium commendaretur. Ipſi nanque immundi ſpiritus, licet inviti, triumphorum Chriſtianæ religionis velut præcones, ſanctorum Fratrum fortiſſimam mortem divinitus edicere ac celebrando prædicare compulſi ſunt: hi enim ab obſeſſis hominum corporibus, qui Martyrum ſepulcrum adibant, illico exire coacti publica voce quod omnes latebat inclamabant: Paulum videlicet & Johannem Terentiani gladio e medio ſublatos fuiſſe.

IX. Quin immo quum ejusdem Terentiani filius a dæmone graviter impeteretur, ad ſanctorum Martyrum tumulum deductus confeſtim liber evaſit. Hinc admirabili divinarum rerum conſilio Terentianus admonitus, abnegato ſacrilego Deorum cultu, Chriſto protinus nomen dedit, & Catholicam fidem amplexus eſt: & poſtquam ſacris undis ablutus fuit, beatorum Fratrum acta ex perſequutore præco & laudator factus literarum monimentis conſignavit. Notam vero hic poſtulant quidam codices, in quibus de Terentiano actorum ſcriptore ſilentium eſt, ibique tantum, ut in Corbejenſi, quem ex Bollandianis tranſcribimus, notatur, quod *ipſo Terentiano referente ipſam paſſionem Sanctorum*

ea ſcripta eſſe dicatur: non autem, ut habent alia pleraque acta, ex iisque Ado, & Romanum breviarium, quod *ab ipſo Terentiano paſſio iſta Sanctorum deſcripta ſit*: ſic corruptum textum habuerunt illi, ut in commentario prævio ad eadem acta Papebrochius obſervat, qui veteris breviarii lectiones ab annis circiter ducentis compoſuerunt; ſed ejusdem recognitores, Gregorio XIII. Pontifice, de hac rei veritate prudenter dubitantes, adponere maluerunt quod *ab ipſo Terentiano ea paſſio ſcripta eſſe dicitur*. Dubium hocce Cardinalis Baronius attingit ad annum trecenteſimum ſexageſimumſecundum, ubi, deſcripta Terentiani converſione & baptiſmo, addit ex corruptis ſimiliter actis quod Terentianus „ certamen Martyrum, cujus „ auctor fuit, ſcriptorum monumentis perpetuæ „ memoriæ commendavit. Quæ tamen (ſequitur) „ haud ea eſſe prorſus contendimus, quæ „ præ manibus hodie habentur; ſed ex illis non- „ nulla accepta, additaque alia, quæ veritati haud „ videntur poſſe congruere: ut dum res geſta po- „ nitur Romæ, quum ibi Imperator Julianus adeſ- „ ſet, quem conſtat his perſequutionis tempori- „ bus, quibus ſolus regnavit, nunquam receſſiſſe „ ab Oriente.

X. Quod vero de Terentiano præfecto memoriæ hominum commendari meretur, eſt nobile pro fidei confeſſione una cum filio martyrium,

rium, quod alacri invictoque animo consummavit; quorum exinde sacra corpora ab Johanne & Pigmenio presbyteris in eadem sanctorum Fratrum domo sepulcro tradita fuisse admonent acta: „ Quorum corpora rapuerunt Johannes & Pigmenius presbyteri, & posuerunt in eadem domo sanctorum Johannis & Pauli.

XI. Præterea in calce primi hujus capitis dubium vocatur an re ipsa Julianus Romæ præsens, ut acta docent, sanctorum Fratrum jusserit cædem: quod quidem per virum etsi modicum in Sanctorum historiis eruditum levi opera solvitur. Constat enim apud æquales scriptores Julianum nunquam Romam adventasse, ibique Romanarum rerum imperio potitum fuisse. Sed ejusmodi actorum error facilius fortasse irrepere potuit, ut notat Papebrochius, si Romæ aderat Juliani Imperatoris avunculus Julianus item nomine, eo forte missus cum titulo præfecti Urbis, ubi nepotis vice fungens, res Romanas administraret: qui deinde Antiochiæ agentem assequutus fuerit, ab eodem contra Persas ituro ibi Comes Orientis relictus, sub eoque titulo eas acceperit leges, quæ prostant in codice Theodosiano a die quinta kalendarum Decembris & ultra. Artemium quoque martyrio affecit vicesima Octobris, ut in ejus passione scripto mandatum est, ac denique ibidem Christianos vexans miserrime diem obiit extremum. Sane utrun-

que Julianum in unam personam conflari pronum fuit ab iis, qui oretenus duntaxat a Terentiano relata Sanctorum acta, nec ex ejus ore immediate accepta scripserunt, addentes tum quæ postea gesta sunt Joviano imperante, tum quæ antea Cæsare Constantino acta fuerunt cum Gallicano duce, quem sancti Fratres Johannes & Paulus ad Catholicam fidem perduxerunt.

XII. Contigit autem Sanctorum passio, ut communis chronologorum opinio est, anno Christi supra trecentesimum sexagesimosecundo, quum Julianus adhuc Constantinopoli ageret, unde ad ipsos scribere Tyrannus, & de ipsis Terentiano rescribere potuit. At pascha sequentis anni, quo baptizatus est cum filio Terentianus, cecidit in diem vicesimam Aprilis, ut expendit Papebrochius, quo tempore Julianus Persidi appropinquabat, si vera est Gothofredi conjectura sane verosimillima, quod lex secunda de Ponderatoribus data nono kalendas Maii, data sit Sacronæ in Assyriæ & Susianæ confinio, pro cujus nomine perperam *Salona* Dalmatiæ civitas notatur. Hoc addendum ex Papebrochio duxi, ut intelligatur Julianum Imperatorem de Terentiani morte nec per literas quidem mandasse quicquam potuisse, & cædem ejus imputandam præfecto Urbis, vel alteri Imperatoris ministro, dum satis temporis esse non potuit, ut literæ pro ejus martyrio ab Imperatore Juliano da-

darentur. Haud diu tamen impune tulit Julianus ſanctorum Johannis & Pauli fuſum ſanguinem: ipſa nanque anniverſaria iis ſacra die viceſimaſexta Junii, ut antiqui ſcriptores referunt, & obſervat Cardinalis Baronius ad annum trecenteſimum ſexageſimumtertium, manu inviſibili in prælii conflictu magno Chriſtiani orbis beneficio ſauciatus fuit ad mortem. Sed illam, antequam prælium iniret, omnia triſtibus plena auguriis prænunciabant: nocte enim ipſa, quæ ejus præceſſit obitum, ſquallidius vidit ſpeciem illam Genii publici, quam, quum ad auguſtum culmen ſurgeret, in Galliis conſpexiſſe hiſtorici tradunt, velata cum cornucopia per aulæa triſtius diſcedentem. Quum vero hæc & alia aruſpices infauſta portendere ſignificarent, & prælii conflictum differendum eſſe ſuaderent, ipſe nihilominus eadem temere ſpernens, exorta jam die caſtra movit: quando aggreſſi eum undique Perſæ acerrimum inierunt prælium, in quo dum ille tum ſuos excitaret, tum audacter effunderet ſemet in pugnam, ſubita equeſtris haſta cute brachii ejus perſtricta, coſtis perfoſſis, hæſit in ima jecoris fibra. Hinc in caſtra relatus, lecto decumbens, hiante latius ſuffoſſi vulneris latere, & ſpiritum tumore cohibente venarum, epota gelida aqua, medio noctis ſilentio immanes in Deum ejusque fidem blaſphemias ab ore vomens vita eſt abſolutus.

CAPUT II.

De multiplici inventione & translatione, corporum ſanctorum Johannis & Pauli.

I. 
Erum etſi Martyrum ſacra pignora in eorum domo Terentiani juſſu condita fuerint, ibidemque requieſcere Criſpi, Criſpiniani, & Benedictæ precibus divinitus compertum eſſet, necnon dæmonum voce id palam innotuiſſet, adhuc tamen certus ſepulcri locus latuit, donec Julianus orbi univerſo ſalutare vulnus accepit, eoque vita functo, ipſa die quinta kalendarum Julii admirabili Dei providentia, omnium fere Romanorum ducum conſenſu, totiusque exercitus ſuffragio Jovianus * Chriſtianiſſimus princeps accerrimusque Catholicæ religionis vindex ad Imperii faſtigium aſcendit. Illi enim id maxime cordi fuit, utprimum res Romanas adminiſtrandas ſuſcepit, quod ſanctorum Johannis & Pauli ſepulcrum, cujus locus ob Gentilium metum latebat, publicum fieret. Quamobrem optimi Cæſaris voto Byzantii * & Pammachii * ſena-

* Alii *Jovinianū* perperam ſcribunt.

* Alii *Vizantium* ſcribunt.

* Alii *Palmachiū*.

ſenatorum cura, quibus a Cæſare literæ datæ ſunt, ſanctorum Martyrum corpora perquiſita, favente Deo, inventa fuerunt, ſicut his verbis acta ſignificant: „ Poſt Jobianus ſumpſit imperium Chri-
„ ſtianiſſimus, qui & ipſe amicus erat Johannis
„ & Pauli. Eodem tempore apertæ ſunt eccleſiæ,
„ & cœpit religio Chriſtiana gaudere. Tunc Jo-
„ bianus Imperator miſit & rogavit ad ſe venire
„ Byzantium ſenatorem, cui ſic dixit *: Nos gra-
„ tia Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti ad te man-
„ davimus, eo quod jam nobis declaratum ſit de
„ beato Criſpo presbytero, & Criſpiniano, &
„ Benedicta, eo quod & ipſos interfecerit Julia-
„ nus, & in domo ſanctorum Johannis & Pauli
„ corpora eorum ſepulta ſunt: unde rogo ut dili-
„ genter requiras corpora ſanctorum Johannis &
„ Pauli; & ex codice Vaticano additur: *quia*
„ *credo eos in domo ſua ſepultos*. Et quum ma-
„ nifeſte eos inveniſſet Byzantius cum filio ſuo
„ Pammachio, gratias agens Deo, renunciavit
„ Jobiano Imperatori.

* Melius corrigendum *ſcripſit*.

II. Hucuſque acta de prima ſanctorum corporum inventione, quæ item luculento probatur teſtimonio, quod nobis ſuppeditat muſeum Septalianum Mediolani, ubi proſtat nonnullorum Cœlitum reliquiarum index, quæ Romæ Gregorii Magni Pontificis ætate ſervabantur, Ægyptiaca papyro exaratus, quem vir omni præditus erudi-

tione

tione Ludovicus Antonius Muratorius vulgavit in tomo ſecundo Anecdotorum, cujus eſt inſcriptio: *Notatio de olea ſanctorum martyrum, qui Romæ in corpore requieſcunt*: ibique poſt ſancti Hippolyti corpus ſanctorum Johannis & Pauli corpora adnotantur; deinde in fine hæc adpoſita legitur barbara ſubſcriptio: *Quas olea ſancta temporibus domni Gregorii Papæ adduxit Johannes indignus & peccator domnæ Theodolindæ reginæ de Roma*. Necnon poſt tot ſæculorum decurſum in ipſa Martyrum baſilica ſuper eorum domum ædificata, Gregorio XIII. Pontifice, inventa fuerunt, quum Nicolaus Pellevius inter cardinales cum hoc titulo a Pio V. cooptatus illam ſuis ſumptibus inſtaurandam aggrederetur; ad eamque, ut ſacra pignora præſens coleret, Gregorium Pontificem cum ampliſſimo cardinalium cœtu acceſſiſſe, atque illa ibidem digniori tumulo juſſiſſe donanda, Marcus Antonius Ciappius Senenſis ſcriptor æqualis in geſtorum ejusdem Pontificis compendio teſtatur. Præterea Alexandro VII. ſedente perquiſita, reperta item fuerunt. Is enim ſereniſſimæ Venetorum reipublicæ precibus inclinatus, aliquam ab eorum corporibus partem apoſtolico diplomate auferendam conceſſit, quæ in Veneta eorum nomini ſacra baſilica fidelium venerationi collocaretur; ejus autem literas hic lubet exſcribere:

Di-

Dilecto filio dilecti filii nostri in alma Urbe Vicarii in spiritualibus generalis Vicesgerenti.

ALEXANDER PP. VII.

Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem.

" QUUM, sicut dilecti filii nobiles viri dux
" & respublica Venetorum nobis nuper
" exponi fecerunt, ipsi partem aliquam
" sacrarum reliquiarum sanctorum Martyrum Jo-
" hannis & Pauli, quæ, ut pie creditur, in ipso-
" rum sanctorum Martyrum ecclesia de Urbe ad-
" servantur, sibi ad effectum illam in ecclesia
" eorundem sanctorum Martyrum Venetiis exsi-
" stente decenter collocandi, donari plurimum
" desiderent, nos piis ipsorum ducis & reipublicæ
" votis, quantum cum Domino possumus, favo-
" rabiliter annuere cupientes, & eorum singulares
" personas a quibusvis excommunicationis, su-
" spensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis
" sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab ho-
" mine quavis occasione vel caussa latis siquibus
" quomodolibet innodatæ exsistunt, ad effectum
" præsentium duntaxat consequen. harum serie

„ abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſuppli-
„ cationibus eorum nomine nobis ſuper hoc hu-
„ militer porrectis inclinati, diſcretioni tuæ per
„ præſentes injungimus, ut e primodicta eccleſia
„ aliquam ſacrarum reliquiarum dictorum ſancto-
„ rum Johannis & Pauli Martyrum partem aucto-
„ ritate noſtra apoſtolica extrahas ſeu extrahi fa-
„ cias, illamque memoratis duci & reipublicæ ad
„ effectum prædictum conſignari cures. Nos enim
„ quamcunque neceſſariam & opportunam ad præ-
„ miſſa facultatem tibi harum ſerie eadem aucto-
„ ritate tribuimus & impartimur. Non obſtantibus
„ quacunque prohibitione extrahendi reliquias hu-
„ jusmodi ſub quibusvis cenſuris & pœnis ema-
„ nata, ac conſtitutionibus & ordinationibus apo-
„ ſtolicis, necnon quatenus opus ſit, primodictæ
„ eccleſiæ etiam juramento, confirmatione apoſto-
„ lica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis
„ & conſuetudinibus, ceterisque contrariis qui-
„ buscunque. Datum Romæ apud ſanctam Ma-
„ riam majorem ſub anulo Piſcatoris die XVI.
„ Septembris MDCLXI. Pontificatus noſtri an-
„ no VII.

S. Ugolinus.

III. Poſtremæ ſanctorum corporum inventionis & translationis recens & oculare præſto eſt teſtimonium, quod illa in hac eorum baſilica requie-

quiefcere fatis evincit. Habemus enim præclariffimæ memoriæ Philippum Thomam Hovardum cardinalem de Norfolcia, qui quum bafilicam in hodiernam formam, veteri deftructa, redegerit, fanctorum Martyrum corpora iterum reperit, necnon unum ex illis facrum caput, quæ ad aram majorem afportavit, ibique depofuit. Ocularis autem recentisque teftis documentum publica munitum fide, unde hæc facrorum pignorum inventio & translatio probatur, proftat in archivo hujus monafterii apud Miffionis facerdotes, confectum anno fupra millefimum feptingentefimofecundo indictione decima die decimafexta Martii per acta Johannis Dominici de Rubeis Vicarii almæ Urbis curiæ cauffarum notarii, præfide viro pietatis & prudentiæ laude præftanti Nicolao Antonio Cuggiò ejusdem Vicarii tribunalis fecretario, & bafilicæ fanctæ Mariæ trans-tyberim canonico.

CAPUT III.

De pluribus corporum sanctorum Johannis & Pauli reliquiis, & de locis, ubi religioso cultu servantur.

I. 
Uum hactenus de sanctorum Martyrum Johannis & Pauli corporibus, quæ in Romana basilica requiescunt, satis verba fecerim, operæ pretium existimavi alias etiam, quæ sparsim in toto orbe coluntur, eorum numerandas esse reliquias, quæque de illis in ecclesiasticis tabulis prodita sunt, evulganda. Horum insignior pars Verulis in cathedrali ecclesia servatur, nimirum alterutrius sancti Martyris caput, vel sancti Johannis, vel sancti Pauli, quod argentea theca humani capitis forma veteri opere elaborata conditum est: idque cum aliis Cœlitum lipsanis ad celebre attinet Casæmarii monasterium sanctorum Martyrum nomini sacrum (quod tribus & ultra milliaribus ab urbe Verulana distat) quibus olim antiquorum Pontificum largitate abunde locupletabatur. Hæ Divorum reliquiæ anno

no a partu Virginis ſupra milleſimum quingenteſimo ſeptuageſimoſecundo, jubente Michaele Bonello cardinali Alexandrino Pii V. Romani Pontificis ſororis filio monaſterii commendatario, Verulas uti tutiorem in locum translatæ fuerunt; ligneique, ubi ſervantur, armarii clavis altera penes clauſtralem cœnobii abbatem, altera penes antiquiorem cathedralis eccleſiæ canonicum cuſtoditur. Nobiliores inter alias, quæ Verulis hujus monaſterii juris exſtant reliquias, ingens eſt portio ſanctiſſimæ Crucis, quæ in parva unius circiter palmi ex auro cruce ſuper aliam ex argento majorem poſita reconditur, palmorum longitudinis quinque, latitudinis trium; eamque a Johanne abbate anno milleſimo ducenteſimo nonageſimoprimo eleganti forma confectam fuiſſe, ejus nomen in ima parte ſculptum teſtatur. Huic accedit ſancti Matthæi apoſtoli brachium nedum carne exutum, quod argentea item in theca humani brachii inſtar elaborata recluditur. Crucem hanc & brachium, cum capite ſancti Martyris annuo ritu ac ſollemni pompa, toto cleri & populi Verulani ſtipante cœtu Chriſti Domini Aſcenſionis feſtivo die ad Caſæmarii baſilicam deferri vetus eſt conſuetudo, quam elapſo anno humanæ ſalutis milleſimo ſeptingenteſimoſexto ſuper alios ingenti populorum numero clariſſimam egomet oculis coram animadverti: quum nimirum Pontificis omnium maximi

ximi Clementis XI. benigno juſſu Caſæmarium adiverim, ubi ſacra & antiqua monaſterii rudera, veteriſque ædificii molem lubens omni ex parte luſtravi.

II. Quod vero admirabilem pene hominum frequentiam ſollemni illo die ad Caſæmarii baſilicam accivit, ampliſſima fuit peccatorum indulgentia, quam ſanctiſſimus Pontifex ſpirituali finitimarum gentium profectui proſpiciendo in forma Jubilæi conceſſit, cui miſſionem adjecit, quam Pii Operarii, ut vocant, ſacerdotes plurimo animarum fructu, & infinito propemodum labore peregerunt. Præſtat hic paullo latius calamo digredi, & celebris adeo miſſionis memoriam palam educere, quam ingentibus Chriſtianæ pietatis argumentis longe inſigniorem reddiderunt viri illuſtriſſimi Alexander Bonaventura optimi noſtri Pontificis magnus eleemoſynarius ab integritate & prudentia commendatiſſimus, necnon Johannes Chriſtophorus Battellus domeſticus ejusdem bibliothecarius, & a ſecretis ſacri cubiculi omnigena eruditione excultiſſimus. Eo nanque miniſtrando pœnitentiæ ſacramento, & divino pane reficiendæ incredibili adventantium populorum multitudini navarunt operam, ut mirum in modum omnibus exemplo fuerint & documento. Tanta ſiquidem exterarum gentium copia fuit, quæ menſis Maii duodecima die ac ſequenti ad Caſæmarii baſilicam

ac-

acceſſit, ut ad triginta & ultra hominum millia pertigiſſe prudentes exiſtimaverint. Hæc inter plures virorum & mulierum ſocietates, ſacerdotes, clauſtrales, necnon Ferentinatis, ac Soranæ urbium epiſcopi cum clero & populo, aliarumque item urbium clerus & populus ſeorſim viri a mulieribus, aliique ſe ad ſanguinem uſque flagellis cædentes, ſacris hymnis & precibus plaudentes facto ordine advenerunt: nec tantam hominum frequentiam ad ſacra peragenda unquam me vidiſſe profiteor, qui ingenti adeo pietate ac religione divinis exercitiis vacaverint; ita quod præ animorum exſultatione ac ſuavitate lacrymas pene ab intuentium oculis elicuerint.

III. Ut autem ad id, unde digreſſa eſt, revocetur oratio, quod ſanctorum Martyrum reliquias attinet, caput alterutrius ſancti Martyris in Romana baſilica una cum corporibus inventum & translatum fuiſſe, ſatis conſtat ex publico documento, quod in archivo Romani monaſterii ſervari innuimus, necnon ex unanimi, quæ in omnium ore verſatur, traditione. His lubet ſubjicere vetuſtiores alias ſanctorum Fratrum reliquias, quas literis commendavit Gregorius Turonenſis in libro primo de gloria martyrum capite octogeſimotertio, easdemque in Gallias Pelagio Pontifice anno circiter quingenteſimo nonageſimo delatas: „ Diaco-
„ nus noſter (inquit) a Papa urbis Romanæ Pela-
gio

„ gio quorundam martyrum confessorumque ad-
„ sumpta pignora cum grandi psallentio vel cleri-
„ corum officio ac populi immensi obsequio usque
„ ad portam deductus est. Subdit deinde illustre miraculum divinitus patratum, æquoream scilicet tempestatem iis coram objectis detumuisse: „ Erant
„ enim (mox sequitur) reliquiæ Sanctorum, quo-
„ rum sacra vestigia Domini manibus sunt abluta
„ cum Pauli, Laurentiique, atque Pancratii, Chry-
„ santi, Dariæque virginis, *Johannis atque alte-*
„ *rius Pauli fratris ejus* reliquiis, quorum certa-
„ mina ac palmas victoriarum ipsa caput orbis
„ urbs Roma devote concelebrat. Harummet quoque mentionem agere professus est vir admodum eruditus Andreas Saussajus in martyrologio Gallicano ad diem vicesimamsextam Junii, ubi ait:
„ Natalis sanctorum Martyrum Johannis & Pauli,
„ qui Romæ sub Juliano inclyto martyrio decorati
„ sunt. Horum autem post aliquot inde annorum
„ sacratissima pignora in Galliam delata (quæ
„ Sanctorum ferax & devota cultrix semper fuit)
„ prope Massiliam sævientes in carinam cœli fla-
„ tus, & æquoris fluctus turbulentos procellæ obje-
„ cta a diacono piæ sarcinæ gerulo, devota Sancto-
„ rum invocatione visibiliter represserunt, sicut
„ sanctus Gregorius Turonensis testatus est.

IV. Alias etiam eorundem Martyrum reliquias apud Cardinalem Baronium ad annum sex-

ſexcenteſimum ſexageſimumquintum meminit Vitaliani Pontificis epiſtola Oſujo regi Saxonum nuncupata: „ Veruntamen (inſit) gerulis harum „ noſtrarum literarum veſtris miſſis & beneficia „ ſanctorum martyrum, hoc eſt reliquias beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & ſanctorum „ martyrum Laurentii, *Johannis & Pauli*, Gregorii, atque Pancratii eis fecimus dari, veſtræ „ excellentiæ profecto omnes contradendas. Inſuper in Caſinenſi baſilica repoſitas eſſe ſanctorum Martyrum reliquias teſtatur Leo Oſtienſis epiſcopus in chronici libro tertio capite triceſimo: „ Super omnia vero hæc (inquit) quod tacendum non duximus, in ſingularum columnarum ejusdem baſilicæ „ capitellis tempore conſtructionis reverenter ſatis „ in æreis pixidulis reliquiæ ſanctorum Philippi & „ Jacobi, *Johannis & Pauli*, Nicandri & Marciani &c., & aliorum multorum locatæ ſunt. Et paullo ante ſcribit Benedictum VIII. Pontificem anno milleſimo viceſimotertio de archivo Lateranenſis palatii abſtractas eidem baſilicæ dono miſiſſe corporum particulas apoſtolorum Petri & Pauli, Andreæ, Johannis, Jacobi, Thomæ, Bartholomæi & Mathæi, Simonis, Judæ, & Mathiæ: necnon ſanctorum martyrum Laurentii, Stephani Papæ, Prudentii, Juliani, *Johannis & Pauli*, aliorumque: necnon in fronte baſilicæ in cruce ærea præter lignum Domini, de lapide ſancti Sepulcri, & Mauri

abbatis reliquias, alias conditas esse sanctorum *Johannis & Pauli*. In antiqua item marmorea tabula ecclesiæ sancti Silvestri Velitris ab anno octogesimoquinto supra millesimum ab Odone episcopo, deinde Urbano II. Pontifice dedicatæ, hæc jacet epigraphes:

Anno Domini millesimo octogesimoquinto indictione quinta mensis Julii die vicesima, Odo episcopus dedicavit ecclesiam beati Silvestri ad honorem & laudem Dei omnipotentis, omni anno asseruit quadraginta dies: & hæ sunt reliquiæ, quæ requiescunt in ecclesia sancti Silvestri S. G. C. Hieronymi, Stephani Papæ, Laurentii martyris, sancti Xysti, Cornelii, & Cypriani, & sanctorum Johannis & Pauli, *sanctæ Agnetis, Praxetis, & Anastasiæ.*

Necnon in synodo Salernitana sub Marco Antonio Columna Marsilio archiepiscopo anno millesimo quingentesimo undeoctogesimo celebrata de Sanctorum lipsanis, quæ in metropolitana ecclesia coluntur, hæc scriptis tradita sunt: „ In altari majori „ ad honorem beatæ Mariæ virginis constituto „ sunt reliquiæ *beatorum Martyrum Johannis & „ Pauli*, & ad augendam fidelium devotionem visi-

„ visitantibus altaria præfata, & unumquodque „ ipsorum, ac inibi pro felici statu sanctæ matris „ ecclesiæ pie Deum rogantibus, illustrissimus do- „ minus Marcus Antonius Columna Marsilius ar- „ chiepiscopus concessit quadraginta dies de vera „ indulgentia in forma ecclesiæ consueta toties „ quoties contriti id fecerint.

V. Neapoli præterea in ecclesia sanctæ Mariæ de Sapientia, quam venerabilis soror Maria Carrafa Pauli IV. Pontificis germana a fundamentis ædificavit, teste Engenio Caracciolo in Neapoli sacra, reliquiæ *sanctorum Johannis & Pauli* conditæ sunt. Necnon in æde sanctæ Patriciæ monialium ordinis sancti Benedicti, ut observat Franciscus de Magistris in libro primo status ecclesiæ Neapolitanæ. In ecclesia quoque sancti Georgii Majoris inter parœciales clarissima, ubi Pii Operarii sacerdotes divinis vacant, de reliquiis sanctorum Martyrum partem adservari notat Carolus de Lellis in supplemento ad Neapolim sacram Engenii Caraccioli. Aversæ item alias in parœciali templo sancti Andreæ apostoli repositas olim fuisse, hæc consecrationis inscriptio super majorem januam insculpta significat:

Anno Domini MDLV. VII. *die mensis Julii Leo Leonicus Suessanus episcopus Castrensis hoc templum D. O. M. atque*

Andreæ apostolo sacravit. Præterea altare, in quo reliquias sanctorum Andreæ apostoli, Johannis & Pauli, *Leonis Papæ & martyris, Johannis episcopi & confessoris, & aliorum martyrum locavit. Omnibus autem Christi fidelibus illud visitantibus quotannis in ipsa die sexta Julii consecrationis quadraginta dies de vera indulgentia in forma ecclesiæ consueta concessit.*

VI. Quibus omnibus illas adjiciam, quas in appendice ad acta sanctorum Martyrum ex nonnullis ecclesiasticis monumentis laudatus Papebrochius collegit. Et primo Richardus Josephus de Cambis Toparcha de Fargues Avenionensis eidem addens peculiari codice manu exarato sacrarum reliquiarum rationem, quæ Avenione coluntur, de illis sanctorum Johannis & Pauli hæc scripsit:
„ Eminentissimus Flavius Chisius cardinalis pro
„ patruo suo Alexandro Papa VII. sollemni ad
„ regem Galliæ legatione functus anno MDCLXIV.,
„ atque in regressu transiens Avenione, metro-
„ politanæ ibidem ecclesiæ donavit vas crystalli-
„ num a duobus argenteis angelis sustentatum,
„ continens vertebras colli duas de corporibus
„ *sanctorum Johannis & Pauli*, acceptas ab

ec-

„ ecclesia Jesuatorum; quo eodem tempore dice-„ bat ipse Venetos quoque a Pontifice patruo „ quædam ossa alia petiisse, & impetrasse. Hæ nimirum fuerunt grandiora ex brachiis Martyrum ossa, quæ pro Veneta sanctorum Johannis & Pauli basilica Venetorum dux ab Alexandro Pontifice obtinuit, eaque singulari ejusdem diplomate, quod superiori capite vulgatum est, e Romana basilica educta fuerunt.

VII. Christophorus Browerus libro altero antiquitatum Fuldensium capite octavo, inter Cœlites, quorum sacra lipsana ostendi Fuldæ solent, sanctos Fratres Johannem & Paulum enumerat: „ qui (antiqui auctoris verba sunt) ad monaste-„ rium Novi-montis, ut pie creditur, palamque „ cernitur translati; pars scilicet eorum aliqua fuit, ut in margine notat idem Browerus, unde & patroni Novi-montis sub insignibus appellantur, quæ ex apocalypsi iis appicta sunt, duæ nimirum palmæ, & duo candelabra. Pezzina Pragensis decanus in suæ ecclesiæ diario ad diem vicesimamsextam Junii memorat „ sanctorum Johannis & Pauli „ Martyrum duo notabilis magnitudinis ossa „ Roma per Carolum IV. allata anno MCCCLV. „ Item (inquit) minores partes duæ allatæ Me-„ diolano per Danielem de Lippa episcopum Pra-„ gensem anno MDLIX., & a me nuper inventæ „ inter alia ecclesiæ nostræ cimelia in grandiori

quo-

„ quodam, ut vocamus, reliquiario reconditæ. Johannes Paulus Masinus in sua Bononia perlustrata ecclesias sancti Petri, sancti Johannis in Monte, & sanctæ Mariæ Gratiarum eorundem Martyrum reliquiis donatas esse tradit, præter ecclesiam olim parœcialem in ripa Savenæ eorum nomini sacram.

VIII. Majorem longe portionem sanctorum corporum anno ultra millesimum sexcentesimo quinquagesimooctavo mense Julio in thesauro ecclesiæ cathedralis Viennensis se vidisse Johanni Bollando renunciavit Theodorus Moretus, teste Papebrochio, simulque ex vetusta membrana originali & autographa Rodulphi IV. archiducis Austriæ diploma transcripsit „ actum anno Domini „ MCCCLXIII., ætatis nostræ XXIV., regiminis „ vero V.; quod deinde Papebrochius in præfata appendice publici juris fecit, ibique *corpora sanctorum Johannis & Pauli*, pro parte duntaxat eorum explicat intelligenda. Demum Cæsarius Heisterbachcensis ordinis Cisterciensis monachus in libro octavo de diversis visionibus capite sexagesimoseptimo de aliis meminit beatorum Martyrum reliquiis perillustri miraculo insignibus. Quum enim monachus quidam Bernardus nomine aliquando iter ageret, & secum ferret ad latus in capsula sanctorum Johannis & Pauli reliquias, quumque ejus mentem turpis libido ad delectationem move-

moveret, illæ (mirabile!) inopino motu monachi latus pulſare cœperunt, iterumque pulſarunt, donec improbum extinxit ardorem: „ Sancti Marty-
„ res (ait Cæſarius) quia motus illicitos reſtringere
„ monachus non conaretur, per capſellam latus
„ ejus dure ſatis tundere cœperunt: quod quum
„ ille non adverteret, & motibus libidinoſis quie-
„ ſcentibus etiam tunſiones ceſſarent per horas ali-
„ quas, quum iterum titillationes ſurgerent, reno-
„ vatæ ſunt & punctiones: ac ſi Sancti ſuum baju-
„ lum voce prophetica increparent, dicentes:
„ Mundare qui fers vaſa Domini: vaſa Domini
„ ſunt corpora Sanctorum. Et ſicut mihi retulit
„ prædictus Bernardus (paucis interpoſitis ſequi-
„ tur Cæſarius) mox ut notare cœpit pœnam, in
„ quantum potuit, compeſcuit culpam, ex hoc
„ diſcens, quod Sanctis placet non ſolum mun-
„ ditia mentis, ſed & corporis.

CA-

CAPUT IV.

Quantus fuerit apud veteres in ſanctos Martyres Johannem & Paulum cultus, & quanta eorum memoriæ dignitas.

I. ANCTORUM Martyrum Johannis & Pauli nomen, eorumque memoriæ dignitas adeo apud veteres inſignis fuit, & toti eccleſiæ ornamento, ut dignum eſſe putaverim nonnulla ſcriptis committere, quæ de illis tradita ſunt cultus & honoris monumenta. Verum inter alia illud præ omnibus notandum eſt, quod ab antiquo eccleſiæ more eorum ſacra nomina in miſſæ canone invocantur: maximum enim laudis præmium beatis martyribus in canone nominatis ex miſſæ ſacrificio referri, luculenter oſtendit Johannis Chryſoſtomi auctoritate homilia viceſimaprima ſuper acta apoſtolorum vir egregiæ literaturæ Fabricius Pignattellus ſocietatis Jeſu presbyter ſanctæ memoriæ Innocentii XII. germanus frater in libro quinto de Monte propitiatorio quæſtione octava: „ Beati quippe Martyres (inquit) „ qui ſtato ac legitimo ordine in ſacro canone nomi-

„ nominantur, videntur esse principes solii, qui
„ Christo summo Pontifici adstant, dum populi
„ angelorum, ut loquitur Augustinus, inclinatis
„ cervicibus divino altari supplices offunduntur.

II. Necnon Theodoricus Ruinart vir optimæ literaturæ in Actis synceris martyrum de illis, qui Juliano imperante passi sunt, scribit sanctos Fratres Johannem & Paulum missam habere propriam in missali Gelasiano, tum etiam in liturgia Gallicana. Hanc in eadem Gallicana liturgia legimus, quam Johannes Mabillonius vir ob singularem doctrinam satis in ore famæ versatus sacræ antiquitatis beneficio in lucem emisit, eamque ut sanctorum Martyrum insigne ornamentum existimavimus. Missæ autem explicationem, quam de sanctis Martyribus Johanne & Paulo habet Romana liturgia, aggreditur Cornelius Schultingius in tomo secundo parte item secunda æstivali bibliothecæ ecclesiasticæ his verbis: „ In officio missæ, quia ab
„ impiissimo Juliano Cæsare manifeste & occulte
„ sunt tentati dicit *introitus*. De gemina passione
„ eorum & spiritali fraternitate loquitur *oratio*.
„ Quia fraterne inter se, & in aulis Imperatorum
„ vixerunt, hoc refert *graduale*. Quia fidem ip-
„ sorum alii sequuti sunt, dicit *versus*. Quia Deus
„ per eos Terentiani filium a dæmone arreptum
„ sanavit, dicit *alleluja*. Quoniam Julianus apo-
„ stata sub fuco euangelii religionem Christianam

„ ſubvertere nitebatur, & quod in domo propter „ nobilitatem generis occulte ſepulti, divina ta- „ men virtute patefacti ſunt, narrat *euangelium*. „ De gloriatione eorum in Domino, dicit *offer-* „ *torium*. Et quod a Juliano apoſtata tanquam „ aurum probati ſunt, dicit *communio*. Epiſtola: „ *Hi ſunt viri miſericordiæ.* Eccl. 44. Sequentia „ non dicitur, etiamſi venerit in Dominica, quod „ & in ceteris feſtis trium lectionum obſervabitur, „ exceptis iis, quæ cadunt infra octavas ſollemnes. „ Euangelium: *Attendite a fermento Phariſæo-* „ *rum*. Luc. cap. 12. Ceterum Gelaſius Pontifex, teſte Johanne Diacono, primus codicem de miſſarum ſollemnibus compoſuit, eumque deinde Gregorius Magnus in unius libri volumen redegit & reformavit.

III. Huc item ſpectat officium, quod proprium habent ſancti Martyres in Romano breviario, cujus antiquitatem ad tempora uſque ſancti Hieronymi referri puto. Quum enim per Hieronymum Theodoſii Imperatoris ævo, Damaſi Pontificis rogatu officia eccleſiaſtica primum eo modo, quo nos ea nunc habemus componi atque digeri cœperint, ut notat Schultingius, ideoque Lectionarius fuerit ordinatus, quem *Hieronymi Comitem* vocant, atque in illo lectiones etiam pro officio ſanctorum Johannis & Pauli indicatæ ſint, propterea Hieronymum primum ejusdem officii auctorem

fuiſſe

fuisse conjectura auguramur. Hinc vero Gregorius, qui in suo antiphonario sanctorum Martyrum meminit, necnon in libro sacramentorum, illud, ut arbitror, meliori ordine digessit: cui accedit Micrologi auctoritas de ecclesiasticis observationibus capite vicesimoprimo, omnia pene ecclesiastica officia a sancto Pontifice profluxisse testantis. Pius V. propiori sæculo, ut scribit Bartholomæus Gavantus in thesauro sacrorum rituum tomo altero sectione septima capite octavo, euangelium mutavit, & addidit homiliam. In secundis vesperis peculiarem adesse ritum idem auctor animadvertit contra rubricam generalem de concurrentia officii numero quarto: qui tamen ibidem significatur his verbis: *Nisi aliter signetur*, & caussam in medium profert, quia nimirum nobiles Romani fuerunt. „ Vesperæ igi-
„ tur secundæ (Gavantus inquit) erunt integræ de
„ Sanctis, cur non primæ nobiliores secundis? ita
„ placuit majoribus nostris.

IV. Antiquam legi de sanctis Martyribus præfationem, quam pro sua ecclesia Mediolanensi sanctus Ambrosius ordinaverat in missa recitandam, apud Schultingium loco supra citato, ubi post verba: „ Omnipotens sempiterne Deus, hæc addita sunt: „ Beati etenim Martyres tui Johannes
„ & Paulus, quorum festa prædicamus, veraciter
„ impleverunt, quod Davidica voce dicitur: *Ecce*
„ *quam bonum & quam jucundum habitare*

 fra-

„ *fratres in unum*; naſcendi ſorte conſortes, fidei „ ſocietate conjuncti, paſſionis æqualitate conſi- „ miles, in uno ſemper Domino glorioſi. Alia etiam præfatio propria legitur in ſacramentario Gregoriano, quæ poſt verba: „ Per Chriſtum Do- „ minum noſtrum, ſic procedit: Pro cujus amore „ glorioſi Martyres Johannes & Paulus martyrium „ non ſunt cunctati ſubire: quos in naſcendi lege „ junxit germanitas, in gremio matris eccleſiæ „ fidei unitas, in paſſionis acerbitate ferenda „ unius fidei ſocietas. Per quem nos petimus eo- „ rum precibus adjuvari, quorum feſta noſcimur „ venerari.

V. His omnibus adnectere placet veterem hymnum elegiaco metro in ſanctorum Fratrum natali die confectum, ubi Julianus etſi in Perſarum bello occupatus auctor eorum necis exponitur, quem Mabillonius in tomo primo Analectorum inter poetica publicum fecit, & cujus auctor, ut quoque idem Mabillonius exiſtimat, Pontifex Damaſus fuit:

Johannis Paulique diem ſol attulit orbi,
Qui rubra martyrii ſerta cruore gerunt.
Unicus hos ſanguis germano fœdere junxit,
Unica mox fratres morsque fidesque parit.
Olim Romulei ſervantes mœnia regni,
Barbaricus ſtrarant ſæpe mucrone globos.

Nunc

Nunc ovium Chriſti puriſſima ſepta tuentes,
Dæmonicas arcent vi precibusque minas.
Hos morti addixit ſacra pro lege Tyrannus
Contemptor Chriſti Julianus rabidus.
Unius ille Dei cultum prius ore ferebat,
Donec ad culmen ſcanderet Imperii.
Aſt ubi convaluit miſero terrena poteſtas,
Idolum vero prætulit ille Deo.
Tum famulos Chriſti lanians & ſanguine paſtus
Innocuo, horrendis ſævit ubique modis.
Verum ubi cœleſti proſpexit Chriſtus ab arce,
Audivitque pii ſanguinis ille preces;
Confeſtim miſero cladem exitialibus horæ
Deſtinet, hoſtili hoſtis ut enſe ruat.
Vaſtata eccleſia Perſas in bella vocarat,
Ac multis ſeptus millibus ibat atrox:
Quum ſubito arentes deſerti ruris in agros
Devenit, & cunctos perdit ubique ſuos.
Qua neq; victus erat, nec fōs, nec fluminis unda,
Caumate ſed nimio tota jacebat humus.
Dumq; fremens montes, valles, camposq; peragrat
Sicubi vel modico ſtilla liquore fluat:
Incidit adverſas condigno errore phalanges,
Perfoſſusque atra cuſpide pectus obit.
Sed rabidus ſemper & in ipſa morte rebellis
Infremit, & ſummum hac voce laceſſit herum:
Ebibe nunc noſtrū, quem quæris, Chriſte, cruorem,
Atque avidus letho jam ſatiare meo.

Ille

Ille quidem tales justo sub judice pœnas
Exsolvit, posthæc Tartara cœca petens.
At Domini testes sacrato sanguine loti.
Vertice laurigero sydera celsa petunt.
Quos toga pacifico vestit præfulgida cultu,
Regalique ambit purpura clara peplo.
Hos ceu fructiferas florens paradisus olivas
Irriguo vitæ jugiter amne rigat.
Hi sunt æterno candelabra fulgida templo,
Progenies lucis & pietatis honos.
Sidereo Regi sublimi semper in aula
Adstantes populis, qui pia vota ferunt.
Quorum propitius precibus nos respice Christus,
Et purga obscurum quicquid inesse vides.

VI. Hic quoque illud memoriæ consignandum est, quod Mathias de Michovia scripsit in chronicis Polonorum libro secundo capite duodecimo de quodam agricola in Poloniæ regem sanctorum Martyrum opera, ut ferunt, divinitus adlecto. Is (ait Michovias) in civitate Crusvicziensi nomine Pyast, eo quod statura erat non alta, sed robusta, habuit uxorem Rzepycza nuncupatam, & filium unicum nondum nominatum, homo multæ hospitalitatis & peregrinorum amator. Rege Pompilio circa annum salutis octingentesimum quadragesimumsecundum duo hospites vultu & habitu venerandi advenerunt, qui quum regis aulam in-

ingredi voluissent, ab illa pulsi sunt, & ab ingressu prohibiti. Discedentes ergo, ad tugurium Pyast advenarum parentis declinaverunt, qui eos summa animi alacritate una cum uxore in domum suam excepit: & porcum saginatum occidit, quem pro tondenda cæsarie & filii nominatione, sicut Gentilium fuit consuetudo, servabat. Obtulit & vas medonis *, quod etiam servabat, dumque potus ducillaretur * (mirabile dictu!) augebatur, & in altum effluebat. Consilio itaque ac jussu duorum hospitum, quos Johannem & Paulum Martyres Romanos fuisse auctorum plures tradiderunt, vasa quot & quantacunque habere potuit, a vicinis mutuavit, eaque implevit. Sed & carnes porci in tantum auctæ sunt, ut decem lintres implerent. Jubent demum præfati hospites supplicatum ire regemque Pompilium invitare, ejusque militiam ad tondendum nominandumque filium; iisque coram bini hospites filium totonderunt, nomenque ei novum aptantes, Semovitum vocarunt. Refectio hinc copiosa adposita est, Deo cuncta per hospitum ministerium agente, qui post refectionem statim disparuerunt: donec secunda conventio Crusviczienſis collecta, ob votorum disparitatem fere in omnibus ex longa nimis diuturnitate temporis defecit. Tunc iterum duo advenæ ad Pyast hospitatum redierunt, qui ab eo, ejusque uxore perhumaniter excepti, prædixerunt illum post triduum in regem Poloniæ eli-

* Potio melle & vino condita.

* E vase hauriretur.

eligendum. Interea vas medonis ante tugurium exponendum persuaserunt, & cunctis urbis proceribus ac ignobilibus confluentibus (singuli enim victualibus carebant) biberunt de illo vase nedum ad saturitatem, verum etiam abunde, Deo maximo suffragante. Altero die consilio inito, cunctis regni proceribus & populis quadam quasi religione concorditer in animo insedit Pyast eligendum in regem, & tota nobilium multitudo cum plebe ad ostium tugurii Pyast descendens, eum ad regnum suscipiendum coegit. Hæc habet Michovias de viro agricola sanctorum Johannis & Pauli opera & suffragio, ut communior opinio fert, in regem electo. Huic etiam accedit Alexandri Guagnini Veronensis testimonium in compendio chronicorum Poloniæ ad præcitatum annum octingentesimum quadragesimumsecundum.

VII. Plures huc pertinent appendicis loco sanctorum Martyrum nomini sacræ basilicæ & monasteria, quæ inter notam meretur illud, quod olim in Vaticano exstructum fuisse nonnulli rerum Urbis auctores testantur. Ejus memoriam plerique sacræ antiquitatis studiosi viri summo honori habuerunt, & ab originis excellentiam, quam sanctissimo Pontifici Leoni Magno debet, & ob vetera monumenta, quibus undequaque venerabile fuit, & tota in Urbe celeberrimum. Præ scriptoribus, qui de illo meminerunt primum obtinet locum

Ana-

Anastasius Bibliothecarius in vita Leonis, ubi de magno Pontifice hujus monasterii fundatore sic ait: „ Hic constituit monasterium apud beatum „ Petrum apostolum, quod nuncupatur sanctorum „ Johannis & Pauli: illud nanque sanctus Pontifex prope Vaticanam basilicam sinistro e latere ædificavit in loco, ubi nunc absis ad septentrionem erigitur, seu sacellum exstat sanctorum Processi & Martiniani, atque, ut tradit Floravantes Martinellus in sua Roma sacra, ubi antiquitus fuit ejusdem basilicæ canonica. Hujus monachi, ut scribit Augustinus Lubinius in notitia abbatiarum Italiæ, in eadem basilica divinas laudes per vices suas diu noctuque canebant. Olim enim circa illam, ut Onuphrius Panvinius monet in opusculo de septem Urbis ecclesiis, quatuor fuerunt monasteria, quorum monachi alternatim diuturnæ psalmodiæ vacabant: a dextro latere nimirum sancti Martini, cujus initia obscura sunt ac incerta, & sancti Stephani minoris, quod Pontifex Hadrianus I. exstruxit: a sinistro alterum sancti Stephani majoris hodie duntaxat superstes, cujus ecclesiam diuturna ætate fatiscentem excelsi animi Pontifex CLEMENS XI. Princeps sacræ antiquitatis amantissimus elegantiori structura restituit; ejusque proximam domum, quæ nonnullis ab hinc sæculis Eugenii IV., ut ferunt, concessione Christianorum Æthiopum hospitio cessit, pene labentem ingenti

F sum-

ſumptu magnifice inſtauravit: & alterum ſanctorum Johannis & Pauli, quod Leo Magnus erexit. De tribus ex hiſce monaſteriis Gregorium III. Conſtitutum edidiſſe memorat Anaſtaſius in ejus vita, ut etiam diſerte notavit Mabillonius in erudito ſuo commentario ad ordinem Romanum in tomo ſecundo Muſei Italici. Monaſterii item ſanctorum Johannis & Pauli in Vaticano meminerunt Johannis XIX. & Benedicti IX. Romanorum Pontificum diplomata, quæ proſtant in tomo primo Italiæ ſacræ apud Ferdinandum Ughellum. Illud ipſum Leo III. & Leo IV., teſte Anaſtaſio, pretioſis muneribus cumularunt. Quo ad primum: „ Ipſe „ almificus Præſul (ait) fecit in monaſterio ſan- „ ctorum Johannis & Pauli, qui ponitur juxta „ beatum Petrum apoſtolum caniſtrum ex argen- „ to penſans libras tres. De altero: „ Similiter „ (idem inquit) in monaſterio ſanctorum Johannis „ & Pauli fecit aliam lucernam argenteam ſimi- „ liter ſupradictas penſantem libras vigintiduas & „ dimidiam, quæ Dominicis vel feſtis diebus juxta „ lectorium conſiſtentibus ad legendum ſacras le- „ ctiones magno luminis ſplendore luceſcat. Hæc de veteri monaſterio prope Vaticanum: cui accedit celeberrimum Caſæmarii in agro Verulano cœnobium in ſuperioribus memoratum, quod nunc ſilentio præterimus, dum alibi uberior erit de illo dicendi locus.

Pro-

VIII. Proxime ſequitur vetuſtiſſima Ravennæ baſilica, cujus cum laude meminit Paulus Diaconus in libro ſecundo capite nono de geſtis Langobardorum, ibique editi præclariſſimi miraculi, quod contigit Venantio Fortunato deinde Pictavenſi epiſcopo, quodque carminibus ſcripſit idem Fortunatus prope finem libri quarti vitæ ſancti Martini. Simile aliud notat Ughellus in tomo quinto inter epiſcopos Bellunenſes de Felice epiſcopo, qui anno quingenteſimo quadrageſimoſexto ſuffragium tulit in concilio Romano. Nullum de hac baſilica ſuperſtes eſt dignæ notæ monumentum, præter quoddam marmoreum peribolum ſeu pulpitum, ubi vetus hæc exſtat inſcriptio:

De donis Dei & ſanctorum Johannis
& Pauli Adeodatus Prim. Strator. in
L. D. Templi Dm̃n. Vrb. Marinian.
Arc. eps fecit. Ind. XV.

Hodie ædes eſt parœcialis præ antiquioribus inſignis, atque, ut tradit lectiſſimæ eruditionis ſcriptor Hieronymus de Rubeis in hiſtoria Ravennate libro quinto, necnon Hieronymus Faber ſacrarum Ravennæ antiquitatum illuſtrator parte prima, inter eccleſias olim enumerari conſueverat, quas archiepiſcopi Ravennates provincialibus epiſcopis adſignabant, ut apud illas, donec celebrabantur

concilia, commorarentur; eamque de more Faventini nostri episcopi pro sede obtinebant.

IX. Sequuntur item plures Neapolitanæ urbis antiquissimæ ædes sanctorum Martyrum nomini olim ædificatæ, quarum vetustior illa fuit, quæ ab Alphonso Carrafa cardinale Neapolitano archiepiscopo societatis Jesu presbyteris tradita, hodie nomini Jesu sacra augustiori forma spectatur. Hæc, ut observat Petrus Stephanus in libro de locis sacris Neapolis, antequam Constantinus Magnus Imperator Neapolim advenisset, fertur exstructa, non tamen eo tempore sanctorum Johannis & Pauli titulo decorata; ibique lapidea vetus erat inscriptio græcis exarata characteribus, quæ latine reddita hæc habet:

Theodorus consul & dux a fundamentis hoc templum ædificans, & hoc sacrum ministerium ex novo perficiens: hinc quartæ hujus regni Asontis & Constantini Dei amatorum & regum honeste vivens.

X. Altera est extra portam Capuanam, quam, ut testatur Engenius Caracciolus in Neapoli sacra, illustris Piscicellorum familia condidit & dotavit: illamque inter parœciales cardinalis Jesualdus archiepiscopus necnon episcopus Ostiensis

ſis adſcripſit. Vanam olim ſuper hac æde in Neapolitano populo irrepſiſſe ſuperſtitionem ſcribit Engenius: quum enim olitores atque agricolæ aeris ſerenitatem, aut pluviam optarent, vicarium civitatis petebant, qui ordinato clero, ad eccleſiam accedebat, ubi caput erat veteris columnæ detectum. Si ergo temporis ſerenitas optaretur, ad lævam clerus ibat inter eccleſiam & columnam, ubi vicarius orationem pro aeris ſerenitate recitabat, & illa hinc ſequebatur. Si autem pluvia, clerus dextrorſum mare verſus tendebat, ibique a vicario pro pluvia impetranda oratione habita, mox nubes ſolvebantur in pluviam. Hæc deinde quæque ſit ſuperſtitio Hannibalis a Capua archiepiſcopi Neapolitani ætate ſublata fuit. Verum quidem eſt in hac æde ſanctos Martyres Johannem & Paulum pro obtinenda aut pluvia, aut aeris ſerenitate plura divinitus olim edidiſſe miracula, quamobrem Neapolitani cives, olitores, atque agricolæ ad illam ſæpenumero accedere conſueverunt; unde malo dæmonis aſtu, ut ſanctorum Martyrum cultus deficeret, vana ſuperſtitio irrepſit. Huc idcirco facit quod viceſimaſexta Junii, qua eorum natalis dies a Romana eccleſia celebratur, habet in officio breviarium: „ Iſti ſunt olivæ, & duo candelabra lu-
„ centia ante Deum, & habent poteſtatem clau-
„ dere cœlum nubibus, & aperire portas ejus, quia
„ linguæ eorum claves cœli factæ ſunt.

Alia

XI. Alia quoque prisca Martyrum ecclesia exstat Neapoli Montaneæ sedilis, cujus apud Petrum Stephanum mentio est, & initia apud Engenium obscura sunt. Vetus tantum marmor Engenius adfert super aram majorem positum, quod hic etiam adferre lubet:

Et credo quod Redentor meus vibit, & in nobilissimo die de terra suscitabit me, & in carne meo bidebo Dominum meum.

Postrema Neapoli ædes sanctis Nicolao, ac Johanni & Paulo sacra est in via, quam vocant *Cruce via Putei albi*, eamque, ut indicat antiqua ibidem superstes inscriptio, Henricus Barut clericus & Caroli I. Neapolis regis familiaris anno ultra millesimum ducentesimo octogesimoprimo a Christo nato ædificavit. Hanc temporis diuturnitate collabentem instaurarunt & multiplici ornamento instruxerunt viri clarissimi Antonius Sanfelicius canonicus sacra eruditione ubique versatus, & Ignatius Muscettola Meliti dux sedilis Montaneæ eltauritarii. Recens ab ipsis posita epigraphes prostat apud Sigismundum Sicula in vita sancti Aspreni primi episcopi Neapolitani.

XII. Quibus additur celeberrima Venetiis basilica, ubi amplissimo cultu sacra faciunt ordinis

Præ-

Prædicatorum fratres, quam serenissima respublica singulari præ aliis veneratione prosequitur. Ibi enim defuncto duci viri senatores lugubri apparatu parentalia celebrant, & funebria exsequiarum persolvunt officia. Necnon die vicesimasexta Junii ex voto dux serenissimus & senatores ad eandem celebri pompa ob gratiarum actionem Deo referendam accedunt, qua scilicet die reipublicæ navalis classis anno sexcentesimo quinquagesimosexto supra millesimum illustrem contra Turcas Christiani nominis hostes parta fuit victoriam, reipublicæ duce Alberto Valerio prudentiæ & integritatis laude præstantissimo principe, & classis generali præfecto Laurentio Marcello rei bellicæ terra marique peritissimo senatore. De hac insigni basilica & adjuncto cœnobio diserte loquitur Johannes Michael Piò de progenie sancti Dominici in Italia libro secundo capite vicesimo & sequentibus, cujus mihi copiam perhumaniter fecit in Vallicellana bibliotheca vir religione & doctrina notissimus Johannes-baptista Conventatus Oratorii Romani presbyter bibliothecæ præfectus. Vetera monumenta, sepulcrales tabulas, picturas, & simulacra singillatim describit; necnon duces, episcopos, aliosque illustres viros, qui in ea tumulum habuerunt, enumerat. Inter illos Dionysii Naldi Faventini nostri ductoris exercitus fortissimi de Hispanis, & Florentinis optime meriti, virtute & fide

fide in Venetam rempublicam incomparabilis marmoreum notat pro monumento ſimulacrum, cui hoc elogium eadem reſpublica ad poſterorum documentum ſuppoſuit:

Imperatoris, ductoris, equitis,
Militisque
Dionyſii Naldi
Conduntur hic oſſa.

Hic juniorem Ferdinandum
Regno a Gallis pulſum reſtituit,
Florentinam rempublicam
Peditatui præfectus ornavit,
Venetis dignitatem Imperii ſuſtinuit
Fide ac fortitudine incomparabili.
Inter alios duces
Peditum præfectus
Patavium ſervavit,
Moriens nimiis
Vigiliis
Hoc virtutis monumentum,
Clariſſimo Lauredano principe,
Ex ampliſſimi ſenatus auctoritate
Meruit.
Obiit ætatis anno XLV.
Anno MDX.

Hujus

Hujus nobilissimæ familiæ laudes & decora, cui arctissima sanguinis necessitudine jungor, in unum redigere difficile esset ac operosum: satis enim de illa auctores scripserunt Petrus Bembus in libro septimo Venetæ historiæ, Leander Albertus, aliique, & ex se satis sua nobilitate commendatur. Inter viros, quos ubique clarissimos peperit, Philibertum Naldum memoriæ tradimus in Gallia ex Philiberto Naldo e Faventina familia oriundo Burdesio in Turonibus equestris ordinis viro, ac totius Galliæ regni exædificationibus præposito, & ex Maria Gaudinia natum, græce & latine doctissimum, Engolismensem primo, mox Antisiodorensem antistitem, Henrici II. regis ad Paulum IV. Pontificem, aliorumque regum Francisci II. & Caroli IX. ad Pium IV. oratorem, a quo in amplissimum cardinalium ordinem titulo sancti Sixti fuit cooptatus. Hæc de Naldorum familia in gratiam dulcissimæ patriæ brevi digressione placuit attigisse: de qua tamen aliquando erit opportunus scribendi locus; quum Æmiliæ illustratæ operi, Deo auspice & suffragante, manum admovero, ubi viros aut literis, aut armis, aut honoribus, morumve sanctimonia illustres, quos omni ævo produxit Æmilia, in animo est evulgare.

XIII. Pictavis insuper sanctis Fratribus Johanni & Paulo paucos post annos ab eorum martyrio exstructam fuisse basilicam testatur An-

dreas Sauſſajus in martyrologio Gallicano ad diem decimamtertiam Decembris. Alterius item cœnobii in civitate Lunenſi ſanctorum Martyrum dicati nomini meminit ſanctus Pontifex Gregorius Magnus in libro ſeptimo epiſtolarum epiſtola ſexta ad Venantium epiſcopum Lunenſem: „ Monaſterium „ (ait) ancillarum Dei intra civitatem Lunenſem, „ quod in honore beati Petri apoſtolorum princi- „ pis, & ſanctorum Martyrum *Johannis & Pauli*, „ atque Hermæ & Sebaſtiani deſideras conſecrari. In Juvenacenſi quoque urbe baſilicæ iisdem ſacræ Martyribus, apud quam hodie ſanctimonialium cœnobium erectum eſt, mentionem habet Ughellus in tomo ſeptimo Italiæ ſacræ de Johanne epiſcopo inter Juvenacenſes epiſcopos. Alteram etiam Tuderti ædificatam memorat Honorii III. Pontificis epiſtola decretalis *ad priorem & clericos ſanctorum Johannis & Pauli Tudertinæ urbis* inſcripta Cap. *Quum inter*, ad rubricam *de verborum ſignificatione* libro quinto decretalium titulo undecimo.

CAPUT V.

De basilica sanctorum Johannis & Pauli, ejusque fundatoribus.

I. OMPERTUM satis est quanta fuerit apud antiquos in sanctos Martyres Johannem & Paulum religio ac obsequium, unde eorum nomen ubique locorum summis laudibus in tota ecclesia meruit decorari. Hinc operis postulat argumentum ut de Romana iisdem sacra basilica sermonem aggrediar, ejusque monumenta a diuturna vindicem oblivione. Verum præmittendum duxi cujus pietate ac opera tantæ molis basilica exstructa sit, & cui primordia referat & fundationis originem. Itaque repetenda sunt sæpememorata Sanctorum acta, unde basilicæ antiquitas exploratur. Utprimum enim Martyrum corpora Joviani Cæsaris jussu a Byzantio, & Pammachio perquisita Urbi innotuerunt, ædificandam ibi basilicam prudentissimus princeps optimo consilio curavit: „ Et quum manifeste eos invenisset „ Byzantius cum filio suo Pammachio (actorum „ sunt verba) gratias agens Deo renunciavit Jo-

 biano

„ biano Imperatori, quibus gratias agens, ita præ-
Potius scribis. „ cepit dicens*: Deus omnipotens bonum donum „ donavit nobis: accipe consilium, utere digne „ sanctis Domini, & fac fieri ecclesiam in domo „ Sanctorum. Et quum cœpisset Byzantius face- „ re, cœperunt dæmones sanctam passionem eo- „ rum declarare ad laudem Domini nostri Jesu „ Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit „ & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. „ Amen.

II. At licet Byzantius cum filio Pammachio ad basilicæ ædificium operam adhibuerit, Pammachius duntaxat absolvit, Byzantio patre rebus humanis exempto. Id consonat Onuphrii Panvinii conjecturæ, qui in Fastis basilicæ fundationem existimat postquam Paulina Pammachii uxor fatis concessit. Hæc, ut monet Cardinalis Baronius sancti Hieronymi testimonio, anno Christi trecentesimo nonagesimooctavo mortem oppetiit, nimirum Anastasio I. Pontifice, Imperatoribus Honorio & Arcadio: quamobrem paullo post, anno videlicet quadringentesimo, ut Pompeii Ugonii in libro de stationibus Urbis opinio est, Byzantio patre jam defuncto basilicæ ædificium Pammachius perfecit. Præcitato insuper anno trecentesimo nonagesimooctavo basilicæ fundationem ponit idem Cardinalis Baronius: „ Inter alia Pam- „ machius (ad hunc annum inquit) sanctis Mar-
tyri-

„ tyribus Paulo atque Johanni, qui hoc sæculo
„ tempore Juliani apostatæ Romæ passi sunt,
„ prope clivum Scauri contra Palatinum nobilem
„ memoriam excitavit, in titulumque erexit, qui
„ usque hodie nomine dictorum Martyrum dictus
„ Pammachii titulus perseverat. Idque in notationibus martyrologio ad diem tricesimam Augusti, quo Romana ecclesia Pammachii memoriam colit, illum hujus basilicæ conditorem esse testatur:
„ Erexit quoque (ait) titulum Pammachii dictum
„ sanctorum Johannis & Pauli. Hinc citra dubium est quin hodierna sanctorum Johannis & Pauli basilica eorum olim fuerit domus, quum nulla alibi in monte Cœlio sanctorum Martyrum nomini sacra fuerit ædes, nisi quam Joviani Cæsaris jussu a Byzantio & Pammachio constructam fuisse acta significant. Quod præter antiqua ejusdem basilicæ monumenta, eorumque ibidem corporum translationes, quibus in ipsa eorum domo sepulta fuisse atque inventa satis exploratum habemus, monent insuper omnes rerum ecclesiasticarum Urbis scriptores.

III. Quantum ergo vetus hæc sanctorum Johannis & Pauli basilica Byzantio patri, & Pammachio filio debeat nemo non videt. Idcirco rei dignitas exposcit ut quicquam de illis compendiose subjiciam, unde palam fiat basilicæ amplissima origo. Quo ad Byzantium omnibus in comperto

est

est sancti Pammachii fuisse parentem. Pammachium enim Camillorum antiquo stemmate Furiano prognatum, ipsumque inter primos Urbis senatores emicuisse consulum pronepotem, sancti Hieronymi auctoritate firmatum est apud Cardinalem Baronium ad annum superius citatum. Hujus si eruditionem quæras, a cunabulis bonis literis una cum ipso sancto Hieronymo assuevit, cum quo magna semper familiaritas ac necessitudo & amicitiæ usus intercessit. Uxore defuncta sanctissima femina Paulina sanctæ Paulæ filia, bona sua in pauperes erogavit, & monasticam amplexus institutionem, summum Christianæ philosophiæ verticem attigit. Inter egregia, quæ edidit pietatis opera, sanctorum Johannis & Pauli basilicam, patre Byzantio superstite, inchoatam, uti nuper scripsimus, absolvit. Ibi etiam pernobile monasterium adjecit atque instauravit, ibique monasticum habitum induisse, arreptumque religiosæ vitæ institutum miro sæculi contemptu ad obitum usque traduxisse auctorum plures affirmant. Nec sane a rei veritate deflectunt: exstructa siquidem sanctis Martyribus in eorum domo illustri memoria, vero simillimum est sanctissimum virum de contemptu sæculi cogitantem ibidem loci, ubi basilicam ædificaverat, etiam monasterium condidisse, eique necessarios adjecisse proventus, ibique monasticam disciplinam coluisse.

Verum

IV. Verum quodnam fuerit reipsa institutum, quod Pammachius arripuit, nemo est, quem non lateat: credibile tantum videtur, illum ut dilectissimum sancti Hieronymi alumnum monasticam ejus institutionem arripuisse, quam in Palæstina inter Hilarionis discipulos profitebatur. Id facile convenit sancti Doctoris epistolæ juxta Mariani Victorii Amerini episcopi editionem vicesimæsextæ, qua Pammachium super obitum Paulinæ uxoris solatur, ubi habet: „ Nobis post dormitio„ nem somnumque Paulinæ Pammachium mona„ chum ecclesia peperit posthumum & patris & „ conjugis nobilitate patricium, eleemosynis di„ vitem, humilitate sublimem &c. Deinde inferius: „ Primum (inquit) inter monachos primum „ quæris patriarcham. His credi potest de sancto Pammachio Hieronymum uti de suo monacho & alumno gloriari, qui sui instituti vestigia calcaret. Eadem insuper epistola de erogatis ab eo in pauperes conjugis ornamentis nonnulla subdit, & de exstructo in portu Romano pauperum beneficio hospitali domo lætatur: necnon Pammachio alias sanctus Hieronymus inscripsit epistolas, quinquagesimam scilicet pro libri adversus Jovinianum apologia, & sexagesimamprimam adversus errores Johannis episcopi Jerosolymitani. Item illi Paulinus Nolanus epistolam consolatoriam ob defunctam uxorem nuncupavit.

Pam-

V. Pammachium hunc ſtudium adhibuiſſe, ut Donatiſtæ ad Catholicam communionem redirent Innocentio I. Pontifice exiſtimat Cardinalis Baronius ad annum quadringenteſimumquintum. Quum enim in Numidia Pammachius latifundium poſſideret, in quo coloni omnes Donatiſtarum ſchiſmate miſerrime infecti erant, iidemque pertinaciſſimi, ita ſe prudenter geſſit, ut cunctos reddiderit abnegato ſchiſmate Orthodoxos: quamobrem illi ſanctus Auguſtinus gratulatur in epiſtola olim triceſimaquarta ſupra centeſimam, hodie quinquageſimaoctava juxta librum epiſtolarum, quas ſapientiſſimi monachi ſancti Mauri in tomo ſecundo ejus operum ediderunt, & notationibus illuſtrarunt. Id quoque conſtanti animo Romæ præſtitiſſe idem Baronius obſervat in notis martyrologio ad diem triceſimam Auguſti, ubi junctis manibus cum ſancto Hieronymo hæreticos Urbem irrepentes repuliſſe ſcribit: quapropter ab illo in procemio ad Johelem ampliſſime commendatur, ejusque virtutes ac præclaras animi dotes pluribus aliis in epiſtolis ingenti ornat elogio. Demum mortem obiit vir ſanctiſſimus de Catholica fide egregie meritus, quum urbs Roma immaniter a Gothorum irruptionibus obſideretur, teſte quoque Hieronymo in procemio libri primi ſuper Ezechielem, ubi dolet uno eodemque nuncio captam Urbem, & Pammachii obitum accepiſſe, anno ſcilicet

a

a Chriſto nato, juxta Onuphrii faſtos, quadringenteſimo decimo. Ejus corpus cum alio Byzantii parentis in hac ab ipſis condita baſilica terræ mandatum fuiſſe, unanimi auctorum, qui de Romanis antiquitatibus ſcripſerunt, traditione firmatur. Officium pro ejus ſollemnitate Fabricius Paulutius hujus tituli Cardinalis, agentibus quoque congregationis Miſſionis ſacerdotibus, inſtituendum curavit: ejusque lectiones pro ſecundo nocturno nuper ſacra Rituum congregatio probavit, eas referente ampliſſimo Cardinale Leandro Colloredo pietatis laude omnique literarum genere præſtantiſſimo, easdemque ſingulis annis die triceſima Auguſti ab ipſis Miſſionis presbyteris, qui in baſilica ſacra faciunt, recitandas conceſſit.

VI. Reſtat hic diſſerendum an huic ædi ſanctorum Johannis & Pauli *baſilicæ* nomen conveniat; & quidem convenire ſatis conſtat ex ipſa ſtructuræ forma, qua conditam intuemur. Martyrum nanque ædes ideo *baſilicæ* nomine antiqui dixerunt, vel quia Ethnicorum baſilicis in partium ſtructura conformes fuerunt, vel quia ſuper aliquam martyrum memoriam ædificatæ, nimirum aut ubi paterna fuerat domus, aut martyrii locus, aut ubi corpora condebantur: de qua veterum conſuetudine late diſputavi in libro ſecundo capite primo de baſilica ſancti Clementis. Quod autem ſanctorum Martyrum Johannis & Pauli ædes in forma

Ethnicorum basilicis consona sit, ipsæ ædis partes satis evincunt. Videmus enim in illa, sicut & in antiquis aliis Urbis basilicis, oblongam in medio ambulationem, simplicibus hinc inde ad latera alarum instar stipatam porticibus, quæ marmoreis columnis incumbunt: deinde tribunal in summo loco hemicycli forma mediæ testudini sive ambulationi respondens, ubi cathedra episcopalis editior olim erigebatur. Quod vero super aliquam martyrum memoriam exstructa sit, abunde ex superioribus perspicuum habemus, ubi scilicet scriptum est super ipsam, quam sancti Fratres in vivis incoluerunt domum, super locum martyrii, in quo Juliani Cæsaris jussu, Terentiani prætoriæ cohortis præfecti gladio capite obtruncati fuerunt, & super corporum sepulcrum erectam fuisse, unde propterea duplici hac de caussa basilicæ nomen meretur.

CAPUT VI.

De situ basilicæ sanctorum Johannis & Pauli, cujus monumenta explicantur.

I. 

BASILICAM sanctorum Johannis & Pauli in Cœlio monte sitam esse, apud omnes Romanarum rerum scriptores compertum est, idcirco in regione secunda, quam a Cœlio monte Cœlimontanam appellant: hæc enim regio fuit illa vel conjuncta vel saltem vicina primæ, quam *Capenam* vocant. Intra muros nanque portæ Capenæ Latinæque sumebat initium, a qua limitem secundum muros ad sancti Johannis portam, & aliquanto etiam ulterius protendit: unde viam illam, qua nunc itur in Cœlium ad ecclesiam sanctæ Mariæ in Dominica, eandem esse verosimile est, qua olim per *Tabernolam* antiquæ Urbis vicum ascendebatur in Cœlium: hæc siquidem, ut animadvertunt Famianus Nardinus in Roma veteri libro tertio capite quinto, & Olajus Borrichius de antiqua Urbis facie capite quarto, finiebatur planitie tertiæ regionis, & tramitem Cœlii sequuta sub ædem sanctorum Johannis & Pauli,

Pauli, in rupes illas flectebatur, donec ad angulum ejus accedens versus sancti Gregorii ecclesiam detorquebatur. Hic omne illud spatium inter Cœlium & Palatinum montem intermedium quartæ forte regionis fuit, ut e flexu nimis angusto colligitur, quem aliter ipsa ibi fecisset. Ab æde porro sancti Gregorii ad mœnia usque una cum ipso Cœlio monte proxime portam Latinam progrediebatur. *

II. Cœlius mons ita dictus perhibetur, ut putat Thomas Dempsterus in libro primo Romanarum antiquitatum capite septimo, a Cœlio, sive ut Fastus mavult, a Cœle Vibenna Etruscorum duce, qui eum primus incoluit; quo autem tempore, incertum. Varro tamen ad antiquissima usque Romuli tempora rem refert, Cœlium hunc nimirum Romulo suppetias latum venisse in bello contra Sabinos. At Tacitus in libro quarto annalium, Cœlium ipsum in auxilium Tarquinii Prisci advenisse memorat, montemque a quercuum copia *Querquetulanum* fuisse appellatum; ac demum *Augustum* dictum vel propter Tiberii Cæsaris imaginem, quæ, quum mons ille incendio absumeretur, in ædibus Junii senatoris illæsa intactaque superfuerat: vel, ut Suetonius tradit in vita Tiberii, ob ejusdem Cæsaris liberalitatem, qui ædium igne consumptarum dominos pecunia munifice adjuverat.

Hujus

III. Hujus forma, quam etiam in præcitato libro ſecundo capite item ſecundo de baſilica ſancti Clementis deſcripſi, oblonga eſt & anguſta; ab amphitheatro Flavio ſcilicet ad ſeptentrionale latus verſus ortum ſolis per viam, quæ ab ædibus ſancti Clementis, & ſanctorum Petri & Marcellini ad portam Majorem ducit ſinuoſo flexu proſerpens, inter ſancti Johannis, & ſanctæ Crucis in Jeruſalem baſilicas finitur. Verſus Occidentem vero una cum ipſis Urbis muris uſque eo ubi *Marrana* Urbem intrat pergens, cum hoc ipſo rivulo ſenſim ad Aventinum procedit, donec ad ſancti Gregorii ædem e regione Palatini montis deficiat. Præter Cœlium Cœlioli quoque hic in ſecunda regione mentio fit a ſcriptoribus. Nardinus autem in libro ſecundo capite etiam ſecundo, etſi alii diſſentiant, Cœliolum collem illum fuiſſe non putat præruptum, abſciſſum, munitum & mœnibus proximum, in quo porta Latina ſitum habet, verum potius inquit, ſi ex facie, quam hodie præfert collis, conjecturam facere licitum ſit, Fabioque Pictori, qui *Argiletum* veterem olim vicum ad Cœlium uſque inter Circum maximum & Aventinum extendit, habenda fides, Cœliolum Cœlii cornu ſiniſtrum appellatum ſe velle, quod e regione eſt Palatini, & in quo ædes exſtat ſancti Gregorii. Hoc cornu, quod reliquo monte depreſſius videtur, ac ulterius procurrit, ſatis large ab eo diviſum eſt tam clivo Scauri

Scauri intermedio apud ſancti Gregorii eccleſiam, quam declivitate, qua ab eccleſia ſanctæ Mariæ in Dominica itur ad ſancti Sixti ædem, quæ duæ cavitates angulum illum ab ipſo monte velut peninſulam dividunt & adnectunt. Sed hæ conjecturæ tantum invalidæ ſunt atque incertæ, & Fabius ille Pictor auctor ſuppoſiticius nil fidei meretur: ac propterea certum Cœlioli ſitum ſe ignorare optime ait Nardinus.

IV. Verum utcunque id fuerit, inter plurima Ethnicæ antiquitatis monumenta, quæ in hoc Cœlio monte fuerunt, primum ut omnium vetuſtiſſima ſibi vendicat locum Hoſtilia curia, quam in hoc ipſo baſilicæ ſitu a Tullo Hoſtilio tertio Romanorum rege magnifice ædificatam fuiſſe ferunt. Sed ut aliquod æquivocationis periculum declinetur, quod alii forte ſubierunt, illudque manifeſtum fiat, unde eorum errores effluxere, notandum duxi Tullum regem geminas Romæ exſtruxiſſe curias, ſicut eruditiores de Romanis antiquitatibus ſcribentes teſtantur: altera in foro, altera in Cœlio condita fuit. Hæc a pluribus ignorata duplex curia nonnullis inter auctores cauſſam dedit erroribus, unde vetera unius monumenta cum alterius monumentis confudere. Illam, quam in foro rex Tullus erexit poſt roſtra poſitam, a monte Cœlio ingenti porrectam fuiſſe ſubſtructione verſus forum, inde vero roſtra ingens & ipſum ædifi-

ædificium a foro versus Cœlium montem procurisse, Flavius Blondus civis Foroliviensis Æmiliæ nostræ scriptor illustris in libro primo Romæ instauratæ existimavit, hac duplici Hostilia curia forte ad id scribendum inductus. At illa, quæ olim in foro sita fuit, silentio præterita, quicquam duntaxat de altera in Cœlio monte subjiciendum putavi. Hanc, ut scriptorum omnium suffragium est, ingenti sumptu rex Tullus in Cœlio monte exstruxit, quem ipse, Livio teste, Urbi Alba diruta adjecit, ab Albanis deinde ejusdem regis jussu habitatum. Id luculenter monet Livius in libro primo: „ Roma „ interim (ait) crescit Albæ ruinis, duplicatur „ civium numerus, Cœlius additur Urbi mons, „ & quo frequentius habitaretur, eam sedem Tul„ lus regiæ capit, ibique deinde habitavit, tem„ plumque ordini ab se aucto curiam fecit, quæ „ *Hostilia* usque ad patrum nostrorum ætatem „ appellata est. Hinc Livii testimonio liquet Tullum regem in Cœlio monte & regiam domum, & simul curiam habuisse, quod etiam Onuphrius in descriptione Urbis, necnon Alexander Donatus de urbe Roma in libro tertio capite secundo disertissime observant.

V. Ut tamen clarius res innotescat, & Hostiliæ curiæ vetera prodeant monumenta, opus est altius principia repetere. Primus, qui Urbem in partes divisit, sicut recte differit Dempsterus in libro

libro primo capite ſeptimo, cui conſentit Nardinus in libro ſecundo capite primo, Romulus fuit, qui ante bellum cum Sabinis geſtum, ut putavit Dionyſius Halicarnaſſeus, ſeu ut Livius, Plutarchus, & Varro ſcripſerunt, poſt fœdus cum Tito Tatio Sabinorum rege initum, in tres eam tribus diſtribuit, Ramnenſium ſcilicet, Tatienſium, & Lucerum, earumque ſingulas in denas curias, ita quod urbs Roma in triginta curias divideretur. Harum unamquamque ſuum a Romulo ſibi ſacerdotem, *curionem* appellatum accepiſſe, cumque ſacerdote templum, & in templo unum plurave numina, ſeu ſingulares dæmones, quibus ſacra facerent, in ſecundo libro erudite notat Dionyſius. Recentiorum aliqui curias illas Chriſtianorum parœciis comparare ſolent, quæ tamen comparatio non undique convenit. Nam parœciæ noſtræ in gremio ſuam ſibi habent eccleſiam, at veterum curiarum templa extra curias ſuas in quadam Palatini collis parte exſtructa fuere, aut ſaltem invicem vicina, ubi antiquas fuiſſe curias Tacitus animadvertit. Quare Nardino cum ſynagogis Hebræorum potius quam noſtris conferri poſſe parœciis videntur: & ut illæ, ita forſan & hæ curiæ unum fuere ædificium in triginta ſacella ſive aulas diſtinctum: aliter enim triginta diſtincta inter ſe templa, eaque ampla latum nimis in monte illo ſpatium occupaſſent, quod ipſum etiam Dionyſium indicare conſtat in citato

libro:

libro: „ Sacra ſua (ait) Romulus cuique curiæ par-
„ titus eſt, adſignatis in ſingulis diis & dæmonibus,
„ quos perpetuo colerent, ſumptusque in hæc attri-
„ buit ex ærario publico, quæ quoties celebraren-
„ tur, aderant curiæ ſuis vicibus, epulumque die-
„ bus feſtis præbebatur curialibus, ideſt iis, qui
„ erant ejusdem curiæ in aula cuique curiæ pro-
„ pria. Hæc Dionyſius. Quod nomen curiæ ipſi etiam templo datum fuerit non abludit a noſtra loquendi conſuetudine: nam & nos parœciæ nomen non parti tantum Urbis, ſed ipſi quoque templo parœciali tribuere ſolemus. Licet enim diſpari undequaque ratione inter falſam Gentilium & veram Chriſtianorum religionem, Nardino tamen ad curiæ nomen explicandum viſum fuit, ut quemadmodum Romulus ſuos cuique curiæ dæmones ſeu deos attribuit, unde denominarentur, non aliter & noſtris accedere parœciis, quibus ſuus cuique adſignatur titularis ex Cœlitum albo patronus, unde & nomen mutuantur. Hinc ulteriori conjecturæ fortaſſis eſt locus ac deduci poteſt, ſicut præcipua illa græca templorum vocabula *eccleſia* & *ſynagoge* convocationem congregationemque populi in unum ad Dei cultum ſignificant, ita nomen illud *curiæ*, ſive ut antiqui dixere *coiriæ* priſco Latinorum vel Etruſcorum idiomate ſimilem populi conventum collectionemque ſignificaſſe: præſertim quum locus, in quo ſenatus convocari conſue-

ſueverat, curiæ vocabulum obtinuerit; quia nempe utraque hæc fuerunt loca, licet in diverſum uſum atque finem, ad conveniendum delecta. Idipſum etiam ex Varrone de lingua latina libro quarto argui videtur: „ Curiæ (inquit) duorum generum, „ nam & ubi ſacerdotes res divinas, ut curiæ ve- „ teres, & ubi ſenatus humanas, ut curia Hoſtilia. Nec diſcrepat ſeu potius convenit Feſtus apud Nardinum: „ Curia locus eſt (ait) ubi tantum ra- „ tio ſacrorum gerebatur. Curiæ etiam nominan- „ tur, in quibus uniuscujusque partis populi Ro- „ mani quid geritur, quales ſunt, in quas Romulus „ populum diſtribuit numero triginta, ut in ſua „ quisque curia ſacra publica faceret, feriasque ob- „ ſervaret. Huc demum facit illud Tertulliani in Apologetico capite undequadrageſimo, ubi de conventibus Chriſtianorum agens in ſuis eccleſiis: „ Quum probi (infit) quum boni coeunt, quum „ pii, quum juſti congregantur, non eſt factio di- „ cenda, ſed *curia*.

VI. Quamobrem quum nomen curiæ pluribus commune uſurpatum etiam ad populi in unum convocationem ſignificandam migraverit, hinc eſt Hoſtiliam curiam in ejusmodi ſenſu ſumendam eſſe, ac propterea ædificium fuiſſe ad ſenatus conventum accomodatum, quod una cum regia domo in monte Cœlio rex Tullus, Alba diruta, exſtruxit. Hoc in loco Tullum regem cum ſenatu

ſenatu congredi conſueviſſe Livius ut ſupra teſtatur, ubi Tullum templum feciſſe *curiam* tradit, hoc eſt, juxta Varronis explicationem, in curiam redegiſſe, quod nimirum ſenatus congreſſui rebusque publicis agendis accomodaverit, ac proinde, ut Livius quoque innuere videtur, curiæ nomine dixerit. Quod vero Hoſtilia curia in hoc ipſo baſilicæ ſitu condita fuerit, late perhibent ex antiquioribus Fabricius Varranus de urbe Roma, Raphael Volaterranus in deſcriptione Urbis, aliique, necnon Andreas Fulvius de antiquitatibus Urbis ſequenti carminum ſerie, quibus ſummatim hactenus ſcripta perſtringit:


Martyres egregii cum Paulo dive Johannes,
Pulcra quibus poſita eſt titulis communibus ædes,
Quondam ubi magnanimi ſurgebat regia Tulli,
Qui montem incoluit, populisque & mœnibus auxit,
Atque ubi conſiliis Hoſtilia curia regis
Clara fuit, ſenioque patrum, rebusque gerendis.

His conſona ſunt Lucii Mauri itidem de antiquitatibus Urbis, Bartholomæi Marliani in libro quarto capite nono, Alexandri Donati in libro tertio capite duodecimo, aliorumque teſtimonia, cum qui-

bus tantum non ſatis convenit Nardinus in libro tertio capite ſeptimo, ubi ait ſe neſcire quo auctore, quove indicio firmatum ſit Hoſtiliam curiam ibidem loci fuiſſe. Pulcrum enim illud & inſigne antiqui operis fragmentum, ingentesque arcus ex tiburtino lapide, ſuper quibus baſilicæ campanaria turris ædificata eſt, longa inſuper ſubſtructione in hortum porrecti, an idipſum, ut ferunt, adhuc Hoſtiliæ curiæ veſtigium ſint, inter ſcriptores agitatur opinio: & plures præcipue recentiores Blondi teſtimonio adhærentes, vulgari quoque ſuffragante fama, revera Hoſtiliæ curiæ rudera fuiſſe arbitrantur. Attamen Pompeius Ugonius in libro de ſtationibus Urbis, aliique potius antiquum aliquod ædificium Cæſarum ætate exſtructum conjectant, quum parum credibile videatur poſt tot ſæculorum intercapedinem, tot Urbis excidia, totque diverſa principum imperia, qui Romæ dominati ſunt, hactenus Hoſtiliæ curiæ adeo integra ſupereſſe fragmenta, nec annorum edacitate, aut direptionum furore de medio prorſus ſublata fuiſſe. Nardinus denique ſcribit nil certum antiquitatis eadem præſeferre, quidve olim fuerint, colligi non poſſe: quum præſertim in hoc Cœlio monte, ut obſervat Marlianus in libro primo capite nono, veterum ædificiorum ruinæ ita confuſæ ſint, ut „ perpaucis certum lo- „ cum liceat adſignare.

CAPUT VII.

Alia vetera & circumadjacentia situi basilicæ sanctorum Johannis & Pauli monumenta.

I. 
NTER alia Ethnicæ vetustatis monumenta, quæ sanctorum Johannis & Pauli circumadjacent basilicæ, primum veteris ædificii sese offerunt rudera, quæ proxime hærent basilicæ, necnon antiqui plures arcus, de quibus scriptorum nulli meminerunt. Conjectura tantum augurari posse existimo sanctorum Fratrum domus prisca esse vestigia, qui in hoc ipso Cœlii situ suas ædes habuerunt. Sequuntur prope vetusti templi reliquiæ, de quo item tacent auctores. Accedit Scauri clivus ab antiqua, ut ajunt, veteris Romæ familia ita dictus, sicut opinio est Octavii Panciroli in libro de thesauris Urbis absconditis, cujus proximæ fuerunt ædes, ibi nimirum positus, ubi mons Cœlius in longitudinem porrectus & angustus Palatinum respicit, & per eundem clivum in duas dividitur partes, quo secundum hanc basilicam ascenditur. Clivus hic,

re

re Romana florente, celebris fuit, ejusque meminit ſanctus Pontifex Gregorius Magnus in libro ſeptimo epiſtolarum epiſtola decimatertia Candido abbati ſancti Andreæ inſcripta: „ Candidum abba„ tem (ait) monaſterii ſancti Andreæ apoſtoli „ poſiti in hac urbe Romana *in clivo Scauri*: dextrorſum enim habet ſancti Pontificis paternam domum, quam in cœnobium ſancto Andreæ ſacrum commutavit, quod hodie ſancti Gregorii obtinet nomen. Hanc ipſam fuiſſe domum vetuſtiſſimæ Aniciorum familiæ, unde Gregorius ortum duxerat, notavit Nardinus in libro quinto capite quinto: eandemque alias habuiſſe ædes in inſula Tyberina teſtatur illuſtris poeta Claudianus in panegyri de Probini & Olybrii fratrum conſulatu, quos Aniciorum genere prognatos eſſe nemo eruditorum ignorat. Nobiliſſimæ hujus familiæ dignitatem & laudes diſertiſſime in unum collegit vir omni liberali doctrina perpolitus omnique eruditione ſingularis alibi laudatus Johannes Chriſtophorus Battellus in ſua diſſertatione de ſarcophago marmoreo Probi Anicii & Probæ Faltoniæ numero quinto, quam nuper ſapientum omnium plauſu typis vulgavit.

II. Aquæ Claudiæ ductus a Nerone deinde, ut tradit Frontinus in libro de aquæductibus, arcubus ab illo Neronianis additos hucuſque pertigiſſe palam facit Nardinus, qui eorum fragmenta, quæ etiam-

etiamnum ſuperſunt, ultra eccleſiam ſancti Stephani, quam alii Fauni, alii Claudii templum fuiſſe ſcripſerunt, uſque ad ſanctorum Johannis & Pauli ædem pergere animadvertit, in cujus cœnobii proxima vinea Lucius Faunus ſua ætate ſe veteris ædificii rudera vidiſſe monet, in iisque integrum caſtellum quoddam aquarum, quod adhuc ſuperſtes eſt, cujus parietes, ut obſervat Marlianus in libro ſecundo capite decimo, ſunt per ambitum latitudine pedum ſex, interius vero trium, operti tectorio craſſitudine digitorum pariter trium. Omnium vero concamerationum longitudo pedibus viginti & unum conſtat, latitudo varia eſt, ut ex ejusdem caſtelli figura, quam habet Marlianus, facile deprehenditur. Idipſum libro octavo capite quarto Nardinus repetit, ubi ait Neronianorum arcuum magnam partem continuo ferme tractu a porta Majori uſque ad ſanctorum Johannis & Pauli baſilicam, ut hactenus viſitur, procedere, ibique fortaſſis in proxima vinea antiquam aquarum diviſionem in Palatinum & Aventinum incepiſſe, quam Frontinus prope templum Claudii locavit: ſiquidem ex altera parte aquarum pars Aventinum verſus procurrebat ſuper arcum, qui ædi ſancti Thomæ *in formis* vocatæ adhæret, altera vero ex parte ſub ſanctorum Johannis & Pauli baſilicam in valle, quæ Cœlium a Palatino dividit, ubi alii hodie cernuntur arcus, per quos reliqua ejusdem aquæ pars in

in Palatinum montem transmittebatur. Huic fere consonat Flaminius Vacca Romanus sculptor in vulgata epistola, quam vir longe doctissimus Bernardus Montfauconius in Diario Italico capite decimo latinitate donavit, ubi de divortiis aquæ Claudiæ, quæ isthic fuisse censet, verba faciens, ita Flaminii epistolam vertit: „ Prope ecclesiam sanctæ Mariæ in navicula reperti sunt tiburtini „ multi, qui non in opere sunt, sed incompositi. „ Et quia aquæductus, qui ante sanctum Johannem Lateranensem videtur, istum in locum pergit, putarem isthic fuisse angulum, ubi in ductus duos aquarum divortia fierent, quorum „ unus in Antonianam procederet, ut testantur „ literæ quædam e muro aquæductus paullum „ eminentes confectæ, quæ tales sunt *Niana*, „ nam literæ T & O labefactatæ sunt: alius in „ Palatium tendebat, ut palam est ex vestigiis „ aquæductus interdum recurrentibus; unde necesse erat isthic aquæductum transversum in „ via fuisse, & arcum amplum ædificatum esse „ &c.

III. Admonet idem Flaminius ad latus amphitheatri Titi in vinea prope basilicam plura olim reperta fuisse tiburtina marmora, & gemina capitula ordine corinthio elaborata. Ex illis unum Pii IV. Pontificis jussu sublatum fuit, & quum veteres Diocletiani thermas amplissimo sumptu reparaverit,

raverit, atque in ædem Deiparæ angelorum ſacram redegerit, in media ac majori templi nave, capitulo deficiente, fuit collocatum. Ibidem præterea tradit marmoream inventam fuiſſe navem quadraginta palmorum longitudine, & ſimul egregio opere inſtructum fontem antiquis ornatum lapidibus, pluresque plumbeos ductus, quæ omnia veteris aureæ domus rudera vulgi opinione ferebantur, quum ſcilicet ibidem loci ejus finem Romanæ antiquitatis periti conſtituerent.

IV. In proxima monaſterii vinea amplum exſtat ædificium, ſeu potius ingentis molis murus, qui illam ambit ex parte orientali, & ab horto ſuperiore dividit; verum auctorum nulli de hoc monumento ſcripſerunt, unde quid olim fuerit antiquitatis, nonniſi conjecturarum ope argui valet. Forma quippe, & structuræ genus, ac ædificii moles thermarum veſtigia fuiſſe deſignant, ſed cujus Imperatoris, quove tempore ædificatæ, nemo niſi temere adſtruere poteſt. Mox ultra baſilicam *manſiones Albanas* a Ruſo & Victore memoratas exſtitiſſe putat Nardinus in libro tertio capite ſeptimo, cui favet Donatus in libro itidem tertio capite duodecimo, ubi nunc ſanctæ Mariæ in Dominica ſurgit ædes, quam vulgo *in Kyriaca* vocabant, quum nempe, ut ex actis ſancti Laurentii proditum eſt, ſanctæ Cyriacæ fuerit domus. Verum Panvinius in deſcriptione Urbis longe diſſentit, ibique non

mansiones Albanas collocat, sed *castra peregrina*, hoc est domicilia & hospitia peregrinorum ab Augusto, ut ajunt, instituta, sibique lapides nonnullos ibidem inventos suffragari perperam arbitratur. Illa enim ceteri de urbe Roma scribentes in montis crepidine ponunt, ubi ædes sita est sanctorum quatuor Coronatorum, quæ sedes quidem aptior videtur ac tutior. Quod autem attinet ad mansiones Albanas, an revera in proximo hujus basilicæ situ fuerint, incertum esse apud omnes notat Nardinus. Attamen animadvertendum est, quod etiam observavit Donatus, mansiones illas non esse, ut ferunt, antiqua Albanorum domicilia, quæ illis rex Tullus attribuit, quum eos Alba eversa in Cœlium montem traduxisset, sed eorum militum stativa, qui ordinarium in monte Albano præsidium agitantes, per partes nonnunquam Romam evocari solebant.

V. A profanis demum ad sacra pergimus monumenta: & primum, omissis sancti Gregorii Pontificis paternis ædibus, quas in dextro clivi Scauri latere sitas fuisse nuper exposui, hanc prope sanctorum Johannis & Pauli basilicam domum olim exstitisse sancti Fausti martyris, ubi a Dafrosa sanctissima femina, cujus opera ad Christi fidem traductus fuerat, sepulturæ officiosa manu fuit demandatus, sanctæ Bibianæ acta apud Laurentium Surium ad diem secundam Decembris locupletissime

ſime teſtantur: „ Eadem vero nocte veniens Da-
„ froſa mater Demetriæ, & Bibianæ collegit cor-
„ pus ſancti Fauſti, & ſepelivit in domo ejusdem
„ juxta domum ſanctorum Johannis & Pauli.
Corpora autem Bibianæ, Demetriæ, & Dafroſæ Urbano VIII. ſedente reperta in æde ſanctæ Bibianæ ſacra ad palatium Licinianum, ibidem ſub ara maxima ab Urbano Pontifice collocata fuerunt, eaque elegantiori ornamento illuſtrata. Ædem hanc Eugenius IV. Liberianæ baſilicæ jampridem adjunxerat, quamobrem ejusdem canonici earum officia anniverſaria die decimatertia Novembris recitare quotannis conſueverunt. Lucius Maurus in libro de antiquitatibus Romanis vetuſtum ſancti Thomæ hoſpitale memorat, quod penes ſanctorum Johannis & Pauli baſilicam fuit, idque, ut ſcribit Auguſtinus Lubinius in prælaudata notitia abbatiarum Italiæ, monaſterium erat fratrum ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum, qui proximam ſancti Thomæ, quam *in formis* appellant, eccleſiam hodie longævo annorum decurſu dirutam ad ſacra peragenda habuerunt. Monaſterii hujus meminit Onuphrius de baſilica Lateranenſi in libro de ſeptem Urbis eccleſiis, ubi notat inter antiqua Urbis monaſteria æque clariſſimum fuiſſe, ac inter viginti abbates, qui Pontifici olim adſiſtere ſolebant, decimotertio loco abbatem *ſancti Thomæ juxta formam Claudiam* ad-

numerat. Mox idem in commendam fuiſſe redactum, ejusque redditus diu commendatarium plerunque Romanæ eccleſiæ cardinalem ſuos feciſſe tradit quoque Lubinius, hodieque baſilicæ Vaticanæ cum omnibus latifundiis ac proventibus additum eſſe nemo Romanorum ignorat. Hinc ultra ſanctæ Mariæ in Dominica, quam vulgus *in navicula* vocat, cujus nuper memini, occurrit ædes olim ſanctæ Cyriacæ domus ab illa, furente Ethnicorum barbarie, pauperibus Chriſtianis in hoſpitium converſa: quam deinde poſteriores Romani Pontifices inter Urbis diaconias retulerunt. Præ viris virtutum fama clariſſimis, qui eidem de illa meriti in cardinalium ordinem cooptati præfuerunt, notadignum ſeſe exhibet magnus & excelſi animi Pontifex Leo X. Mediceæ gentis decus maximum & ornamentum, qui eam, quum cardinalis munere fungeretur, nimia annorum diuturnitate labantem inſtaurandam ſuſcepit, & Pontifex renunciatus magnifice abſolvit. Hanc ipſam Ferdinandus Mediceus, antequam ampliſſima dignitate abdicaret, & magni Etruriæ ducis inſignia, fratre ſine hærede defuncto, reciperet, elegantiſſime illuſtravit marmoribus, & qua labefactatam reſtituit, qua corruptam ornavit. Hodie diaconus inter Cardinales illi præficitur Franciſcus Maria Mediceus princeps ſuper omnem laudem maximus, qui pergit majorum exemplo literatorum votis & otio favere.

C A-

CAPUT VIII.

De monasterio sanctorum Johannis & Pauli in monte Cœlio.

I. ANTIQUITATE sanctorum Johannis & Pauli basilicæ, ejusque situs dignitate hactenus evulgata, facili etiam opera proximi monasterii antiquitas & primordia innotescunt. Id enim Pammachium basilicæ conditorem ædificasse, idemque largis donasse proventibus omnes Urbis scriptores fatentur. Ibi etiam sanctissimum virum monasticam traduxisse vitam, & amplissimo monachorum cœtu stipatus religiosæ perfectionis institutum arripuisse superius scripta significant. Ibique aliquando sanctum Hieronymum Romam sæpius adventantem versatum fuisse verosimillimum est, cujus familiaritas cum Pammachio celebris fuit, & cujus monasticam institutionem Pammachium suscepisse communiori auctorum opinione perhibetur: ac proinde monasterii hujus longe clarissima fuisse primordia, pluribusque morum sanctimonia & pietate præstantissimis viris antiquitus effloruisse satis omnes testantur.

Lubet

II. Lubet hic addere appendicis loco priſcos redditus & proventus, quibus olim cœnobium potitum fuit, & quorum meminit in veteri diplomate ſanctus Gregorius Pontifex, quod proſtat in hac ipſa ſanctorum Johannis & Pauli baſilica marmorea in tabula antiquis characteribus exſculptum. Ibi Gregorius latifundia omnia & prædia, quæ credibile eſt Pammachium monaſterio largitum fuiſſe, apoſtolica auctoritate confirmat; quæ item Conſtantinus Pontifex poſt illum probavit. Gregorii diploma infra dabimus, modo veterum prædiorum nomina ibidem in alio lapide exarata, prout jacent, exſcribenda putavi, videlicet:

Territor. Bellitrinen. mill. XXII.
Fundus Macianus in integro.
Fundus Coſeonis in integro ubi ſupra.
Fundus Prætoriolus in integro ubi ſupra.
Fundus Proclis in integro via Appia mill. XIII.
Fundus Virg. in integro via Appia mill. II. *cum pantano.*
Fundus Capitonis via Ardentina mill. III.
Fundus Fontejanus in integro via ſupraſcript. mill. V.
Fundus Forauſian. in integro via ſup. m. pl. mill. XII.
Fundus Cauſianus in int. via ſup. m. ſup.
Fundus Carbonianorum in int. via ſup. m. pl. IX.

Fundus

Fundus Casæquin. in integro via Lata m. pl. mill. XI.
Fundus Lacitinianus in integro via Lavicana mill. XV.
Fundus Sergianus in integro ubi supra.
Fundus Septiminus in integro via......
*Fundus Cæsarianus in integro via Prænestina mill.*XXX.
Fundus Stagnus in integro via Lat. m. pl. mill. XXX.
Fundus Casalucci in integro ubi supra.
Fundus Casacellensis via Appia mill. XII.

Hisce, quæ numeravimus, prædiis Romanum sanctorum Johannis & Pauli monasterium olim potitum est, præter alia, quæ leguntur in antiquo manu & vetustis literis scripto codice, quem optimus Pontifex CLEMENS XI., dum Cardinalem ageret, congregationis Missionis sacerdotibus mox in idem monasterium admissis dono dedit, ubi plura, ut legimus, memorantur, quæ præfati monasterii juris fuerunt.

III. Verum quicquid fuerit de obsoleta horum memoria, recensenda duxi universa ordinum instituta, qui monasterium incoluerunt, in ejusque basilica divina peregerunt ministeria. Et primum ab ejus exordio monachorum curæ addictam fuisse in superioribus abunde notavi: hinc

hinc ſæculares clericos ibidem ſacra feciſſe vetus eccleſiæ conſuetudo, & olim ſuperſtites baſilicæ partes ac monumenta ſuadent: poſtmodum anno ducenteſimo ſextodecimo ultra milleſimum in collegiatam, ut vocant, commigraſſe, Octavius Pancirolus in laudato libro de theſauris Urbis abſconditis, aliique eccleſiaſtici ſcriptores ſignificant. Immo obſervat Ugonius apud presbyteros collegiatæ nomine perſeveraſſe ad Nicolai V. ætatem uſque, quo Pontifice quinque aut ſex tantum canonici raro infra annum ſacrorum onera baſilicæ perſolvebant. Quapropter annorum decurſu factum eſt, ut deſerto divino cultu, ſive temporum imbriumque injuria ſæpe ſæpius præpedito, ſive ob culpabilem canonicorum ſegnitiem deſtituto, ipſa quoque baſilica & monaſterii ædes paullatim ætatis detrimenta ſentirent, & prope ruinam minarentur, ac velut ſine nominis luce deſpectæ jacerent. Qua de re quum Pauperum Jeſuatorum congregationis nongentos & ultra ante annos orbi Chriſtiano conditæ fama tunc temporis ampliſſime pervolaret, & Latinus Urſinus hujus tituli cardinalis ejus incolumitati atque ornamento proſpiceret, a Pontifice Nicolao enixis precibus poſtulavit, ut canonicatus abolerentur, & baſilica, monaſterium, ejusque proventus Jeſuatorum congregationi apoſtolica auctoritate tribuerentur. Hinc anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimoquarto baſilica,

ſilica, ejusque cœnobium Jeſuatis fratribus Nicolai diplomate conceſſum eſt, & eorum prior poſſeſſionem iniit Antonius Bettinus Senenſis inter Cœlites beatos adſcriptus, quem vita integerrimum & ſanctimonia clariſſimum Pius II. Pontifex infula Fulginate donavit. Monaſterium hocce ad noſtra uſque tempora Clemente IX. Pontifice Jeſuati fratres obtinuerunt: quo ſedente eorum congregatione e medio ſublata, ut Pontificio ejusdem diplomate monitum eſt, quod incipit: *Romanus Pontifex*, datum „ apud ſanctam Mariam majorem anno mil„ leſimo ſexcenteſimo ſexageſimooctavo ſexta De„ cembris, Pontificatus ſecundo, monaſterium in commendam redactum fuit, illudque primus abbas commendatarius adminiſtravit Jacobus Roſpiglioſius cardinalis Clementis fratris filius, quo vita functo, plures poſt annos Alexander VIII. æternæ memoriæ Pontifex Petrum Otthobonum Cardinalem nepotis filium Romanæ eccleſiæ Vicecancellarium principem ad magna natum commendatarium præfecit.

IV. Deinde ab anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſexageſimooctavo uſque ad ſeptuageſimumprimum puellæ & ſanctimoniales, quas a ſancto Philippo Nerio vocant, Clementis IX. Pontificis beneficio hoc ipſum monaſterium incoluerunt; quibus poſtmodum ad primos lares redeuntibus, baſilicæ cura & cœnobii uſus Philippi Thomæ Ho-

vardi cardinalis patrocinio & opera Anglis fratribus ordinis Prædicatorum traditus eſt, Innocentio XI. Catholicam eccleſiam adminiſtrante: ibique religioni ac bonis artibus operam navantes, ad annum uſque milleſimum ſexcenteſimum nonageſimumſeptimum ſumma cum laude degerunt. Verum Hovardo cardinali e vivis erepto, ob proventuum deficientiam, quos liberali manu ſuppeditabat, iis proinde recedentibus, Pontificis Innocentii XII. beneficentia baſilicam, monaſterium, ejusque omnes redditus congregatio Miſſionis, & domus ejus Romana adepta eſt. At rei ſeriem, in qua admodum enituit optimi Principis egregia voluntas, hic paullo fuſius exſcribendam putavi, quod etiam præfatæ congregationi pergratum fore arbitror, quum tanti benefactoris memoriæ multis nominibus ſe devinctiſſimam profiteatur.

V. Noverat Innocentius jam ſub ipſo Pontificatus exordio, & probaverat ſingulare ſtudium congregationis Miſſionis ſacerdotum in informandis, ut eorum poſtulat inſtitutum, ſacrorum ordinum candidatis, aliisque cujuscunque conditionis & ſtatus viris, qui in Romanam domum in monte Citatorio ſitam quotidie confluunt ad ſpiritualia, quæ vocant, exercitia obeunda. Alii quidem, qui perfectioris vitæ ſtadium ingreſſi ſunt, ut novis ac frequentioribus mentem excolant ſacris meditationibus: alii vero, qui laxiorem calcant viam, ut ad

ad meliorem redeant frugem, & per generalem anteactæ vitæ confessionem, seriamve animi recollectionem vetera expient crimina, atque adnitente eorundem sacerdotum opera, novam aggrediantur morum disciplinam. Religiosam hanc domum, quam Pontifex Urbanus VIII. anno ultra millesimum sexcentesimo quadragesimoprimo fundari indulserat, posteriores Romani Pontifices Alexander VII., Clemens IX. & X., Innocentius quoque XI. paterna dilectione, largisque beneficiis cumulaverunt. Hos inter Pontifex Alexander ad excolendos sacræ militiæ tyrones, qui in urbe Roma, & in proximis sex episcopatuum dioecesibus ad sacrorum ordinum ministeria promoveri volunt, illam perpetuo destinavit, uti palam facit centesima vicesimasexta ejus constitutio in bullario Romano vulgata, cujus initium: *Apostolica sollicitudo*, data „ Romæ apud sanctam Mariam majorem die septima Augusti anno millesimo sexcentesimo sexagesimosecundo, Pontificatus octavo. Hanc vero Missionis ædem, ut in sacris literis scriptum est, *probaticam piscinam* dixeris, in qua *multitudo magna languentium exspectat aquæ motum salientis in vitam æternam*; tamen *non quinque porticus habentem*, angustam scilicet tot devotis hospitibus excipiendis, quos non longo annorum spatio ad usque vigintisex millia & ultra hominum pertigisse ex peculiari regesto in id per seriem tem-

porum constituto compertum est. Accedebat amplissimorum cardinalium commodum, quorum nonnulli vel unius pietatis caussa, vel ut ad sacros ordines suscipiendos majori religionis studio longe ab hominum conspectu incumberent, in hanc domum secedere consueverant. Quos inter legimus integerrimæ vitæ Cardinales Emanuelem Theodosium Bullionium sacri collegii decanum, Josephum Renatum Imperialem, Franciscum Barberinum, Savum Millinum, aliosque purpuratos patres, & qui omnium religionem compendio quodam in se uno collegit, Johannem Franciscum Albanum in apostolica Sede auspicatissime regnantem, quem a spiritualibus exercitiis in præfata domo una cum ceteris mense Septembri anni sæcularis & Jubilæi septingentesimi supra millesimum mira humilitate admirabiliorique exemplo peractis, ut ita dicam, redeuntem, sequente Octobri sacrum cardinalium conclave, & mox ipsa Pontificalis cathedra excepit. Quibus si Romanæ curiæ præsulum pro iisdem obeundis exercitiis confluentium ordinem & numerum addas, vix amplissimæ ædes, nedum una domus mediocris satis erant. Urgebat insuper ingens congregationis familia, quæ in dies augebatur: sed illi commodius alendæ, & ad tot impensas sane impari ferendas, quas in Urbe & extra in proximis diœcesibus & provinciis sacras agendo missiones gratis ubique præstat, adhuc tamen deerat

deerat aptus domicilii locus, immo & necessarius optabatur. Quamobrem ut religiosis hospitibus cellula pararetur plerosque domesticos magnus eorum numerus de loco migrare cogebat, & in propria domo sub incerto lare jugiter peregrinari; ea tamen animi alacritate, ut plane dici posset: *hospitales invicem sine murmuratione*; sed, quod credibile parum videtur, tanta modestia, ut sua sorte contenti nihil facerent quo domus amplificaretur, ipsis tacentibus, quum lapides clamarent, de unico regno Dei amplificando solliciti. Verum clementissimus Pontifex Innocentius latiores cogitans ædes rem tacitus considerabat, & multum dolebat: quum tandem ejus votis arrisit sanctorum Johannis & Pauli monasterii vacantis occasio, quo Missionis congregationem statuit se donaturum: & pro ea, qua in egregiis rebus præstandis sollicitudine pollebat, non rogatus, non precibus aut officiis circumventus regali plane animo incunctanter absolvit. Neque hic substitit magni Principis largitas: quia enim Dei perfecta sunt opera, æmulator ipse divinorum operum, ne titulum sine re donasse videretur, vel pompa major esset quam census, de redditibus olim eidem monasterio adnexis, deindeque in commendam traditis, novæ presbyterorum Missionis familiæ adjiciendis cogitavit: ac propterea excelsum animum Petri Otthoboni Cardinalis commendatarii ad virtutes omnes, religio-

nem

nem maxime, & liberalitatem paratiſſimum intuens, eumque Pontificiæ munificentiæ comitem habere geſtiens, prompta manu ab eo dimiſſam abbatialem commendam novæ domui, quam fundabat, addixit. Qua in re quum adhuc incertum ſit quis eorum in eximia adeo ac ſingulari liberalitate primas tulerit, nihil nobis dicendum ſupereſt, quam quod beneficentiſſimus Pontifex, & optimus Cardinalis ſuæ uterque egregiæ menti reſponderunt.

VI. Itaque congregationis Miſſionis ſacerdotibus baſilica ſanctorum Johannis & Pauli, ædes, ac redditus omnes monaſterii apoſtolico diplomate adjecti ſunt, novaque domus addita, fundatore Innocentio, atque Urbe applaudente, quæ eorum operam dudum notam laudare pergit & experiri. Verum tamen nedum Innocentius Miſſionis congregationi tot ubique beneficiis profecit, ſed etiam Pontificum maximus Clemens XI., qui ſuos imitatus prædeceſſores de illa optime meritus eſt, eamque apoſtolico patrocinio dignatur. Sub ejus nanque auſpiciis, & Pontificia intercedente gratia (aliis ſilentio præteritis, ut brevitati conſulam) Florentina domus a ſereniſſimo Coſmo III. magno Etruriæ Duce Chriſtianæ religionis Principe ſtudioſiſſimo, & Firmana a Balthaſſare Cincio Cardinale exploratæ integritatis, & ſummæ vigilantiæ archiepiſcopo pro inſtituendis in peramplo, quod

cogi-

cogitat, ſeminario adoleſcentibus Romanæ congregationis provinciæ adjunctæ fuerunt. Avenionenſis item, Cardinalibus, qui fidei propagandæ præfecti ſunt, ſedulo agentibus, pro collegiorum Roborei & Aniſſiaci perfectiori regimine, necnon Barchinonenſis fundatio apoſtolicis literis ad epiſcopum, proregem, & proceres excellentiſſimæ urbis maximo Pontificiæ dilectionis argumento promota noviſſime Italiæ acceſſerunt. At majora in hujus congregationis inſtitutionem beneficia ingens tanti Principis animus pollicetur.

VII. Hic modo ſubjiciendas duxi, ut perennis ſit beneficii memoria Innocentii literas, quibus præfatæ congregationi ſanctorum Johannis & Pauli monaſterium adjungit:

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ IN apoſtolicæ dignitatis ſolio divina favente
„ clementia, meritis licet imparibus, conſti-
„ tuti, ad ea libenter intendimus, per quæ piis
„ locis ad propagationem fidei Catholicæ deſti-
„ natis ſubvenire poſſimus, ac favorabiliter dex-
„ teram noſtræ liberalitatis extendimus, ut mini-
ſtri

„ ſtri in eis inſervientes in pluribus locis, præ-
„ ſertim hujus almæ Urbis noſtræ eorum pia ope-
„ ra commode exercere valeant, prout conſpici-
„ mus in Domino ſalubriter expedire. Quum ita-
„ que (ſicut nobis innotuit) alias bonæ memoriæ
„ Jacobus cardinalis Roſpiglioſius nuncupatus, &
„ abbas ſeu perpetuus commendatarius, dum vi-
„ xit, abbatiæ ſæcularis ſanctorum Johannis &
„ Pauli de Urbe, olim congregationis regularis
„ ordinis fratrum Jeſuatorum nuncupatorum apo-
„ ſtolica auctoritate perpetuo ſuppreſſæ, & ex di-
„ ctæ congregationis bonis præfata auctoritate
„ erectæ & inſtitutæ eccleſiam & conventum dictæ
„ abbatiæ, ac duo viridaria illi adnexa dilectis
„ filiis vicario generali, & fratribus provinciæ An-
„ gliæ ordinis Prædicatorum, & bonæ memoriæ
„ Philippo Thomæ Hovardo cardinali de Norfol-
„ cia etiam nuncupato pro eis acceptante, ad effe-
„ ctum inibi erigendi & inſtituendi conventum
„ ſeu collegium fratrum ſecundodicti ordinis na-
„ tionis Anglicanæ in perpetuum conceſſerit &
„ adſignaverit, ea inter ceteras adjecta lege, ut ſi
„ tractu temporis collegium ſeu conventus reli-
„ gioſorum dicti ordinis Prædicatorum, & natio-
„ nis Anglicanæ a præfato conventu eis conceſſo
„ amoveretur, ſeu amplius non ſubſiſteret, ac reli-
„ gioſi ſecundodicti ordinis & nationis præfatæ
„ dictum locum reliquiſſent, tunc & eo caſu ipſi
etiam

„ etiam tenerentur & obligati exsisterent ecclesiam,
„ conventum primodictum, & viridaria præfata,
„ cum omnibus & singulis reparationibus, melio-
„ ramentis, commoditatibus, & ornamentis per
„ religiosos secundodicti ordinis, & nationis præfa-
„ tæ in ecclesia, conventu primodicto, & viridariis
„ præfatis quomodolibet factis, præfato Jacobo
„ cardinali, sive ejus in dicta abbatia successoribus
„ libere restituere, absque eo quod aliquid propte-
„ rea a præfato Jacobo cardinali, sive successoribus
„ præfatis habere, seu quocumque titulo præten-
„ dere potuissent & valuissent, itaut præfatus Ja-
„ cobus cardinalis, sive successores præfati præ-
„ missorum omnium, & singulorum possessionem
„ propria auctoritate & de facto absque judicis de-
„ creto, sententia, seu ministerio apprehendere,
„ seu retinere possent & valerent, & alias prout in
„ instrumento super hoc desuper confecto, & apo-
„ stolica auctoritate confirmato plenius & uberius
„ dicitur contineri. Et postmodum capitulum ge-
„ nerale dicti ordinis fratrum Prædicatorum tunc
„ celebratum, conventum seu collegium inibi, ut
„ præfertur, erigendum præfatæ provinciæ Angliæ
„ & solummodo fine, ut ejusdem provinciæ alum-
„ ni in eo possent studiis vacare, seque instructos
„ & capaces reddere ad sacras missiones in eorum
„ patria cum fructu obeundas, incorporaverit:
„ abinde vero præfato Philippo Thoma cardinali,

„ qui dum viveret hujusmodi religiosos profusis
„ eleemosynis subveniebat, de medio sublato, ne-
„ dum antedictus finis ob eleemosynarum præfa-
„ tarum aliorumque necessariorum reddituum defi-
„ cientiam adsequi possit, verum etiam dictæ na-
„ tionis conventus seu collegium nullatenus inibi
„ subsistere amplius valeat, immo in ecclesia &
„ primodicto conventu præfatis procul ab homi-
„ num frequentia, & in situ Urbis remoto exsisten-
„ tibus spes regularis observantiæ difficilis redda-
„ tur, præsertim quia ad præsens tres tantum sa-
„ cerdotes ex hujusmodi religiosis dictæ nationis
„ in primodicto conventu degant; & nos animad-
„ vertentes quod ex præmissis caussis religiosi præ-
„ fati conventum primodictum, ecclesiam, & duo
„ viridaria hujusmodi eis, ut præfertur, concessa,
„ & ad antedictum, & non ad alterum finem dictæ
„ provinciæ incorporata, moderno abbati seu com-
„ mendatario dictæ abbatiæ ex præfata concessio-
„ nis lege restituere teneantur: motu proprio, non
„ ad infrascriptorum presbyterorum congregatio-
„ nis Missionis infrascriptæ, vel alterius pro eis
„ nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam,
„ sed ex certa scientia, meraque deliberatione
„ nostris, & de apostolicæ potestatis plenitudine
„ concessionem conventus primodicti, ecclesiæ, &
„ viridariorum hujusmodi eisdem religiosis, ut
„ præfertur, factam, quatenus opus sit, abrogan-

tes

„ tes & annullantes, ac ex nunc abrogatam &
„ annullatam esse & fore decernentes & statuen-
„ tes, necnon omne & quodcunque jus super con-
„ ventu primodicto, ecclesia, & viridariis hujus-
„ modi, tam præfatis religiosis secundodicti or-
„ dinis, & nationis Anglicanæ, quam universæ
„ religioni dicti ordinis Prædicatorum ex præfata
„ concessione competens, & per eos prætensum
„ penitus & omnino ab eis abdicantes & amoven-
„ tes, illud in abbatiam præfatam perpetuo trans-
„ ferimus, ac ecclesiam, conventum primodictum,
„ & duo viridaria præfata in pristinum, & eum,
„ in quo ante concessionem, & incorporationem
„ præfatas quomodolibet erant, statum integre
„ reponimus, restituimus, & plenarie reintegra-
„ mus, & quatenus opus sit, primodictum con-
„ ventum, ecclesiam, & viridaria hujusmodi ab-
„ batiæ præfatæ, etiam absque consensu vicarii
„ generalis, & religiosorum ordinis Prædicatorum
„ provinciæ Anglicanæ præfatæ, necnon prioris
„ dicti conventus, & magistri generalis universi or-
„ dinis hujusmodi de novo unimus, adnectimus,
„ & incorporamus, ac de novo eidem abbatiæ uni-
„ ta, adnexa, & incorporata esse volumus & de-
„ cernimus; & insuper cum abbatia præfata,
„ quam dilectus filius noster Petrus sancti Lauren-
„ tii in Damaso nuncupati diaconus Cardinalis
„ Otthobonus nuncupatus in titulum seu com-

„ mendam ad ſui vitam ex conceſſione & diſpen-
„ ſatione apoſtolicis nuper obtinebat, per infra-
„ ſcriptam dimiſſionem, ſeu commenda hujus-
„ modi (ex eo quod idem Petrus Cardinalis nuper
„ illi, ac omni, & cuicunque juri ſibi in dicta abba-
„ tia, vel ad illam quomodolibet competenti, &
„ per eum prætenſo ceſſit, ſeu abbatiam hujusmodi
„ in manibus noſtris ſponte & libere dimiſit, nos-
„ que ceſſionem ſeu dimiſſionem hujusmodi duxe-
„ rimus admittendam) ceſſante, adhuc & quo ante
„ commendam ipſam vacabat, modo vacaverit,
„ & vacet ad præſens: nos, qui muneris noſtri eſſe
„ arbitramur, ut congregationibus virorum Altiſ-
„ ſimi obſequiis ad proximorum ſalutem promo-
„ vendam mancipatis, earumque ſtatui quantum
„ nobis ex alto conceditur conſulamus, ad uberes
„ bonorum operum fructus, quos dilecti filii pres-
„ byteri congregationis Miſſionis de Urbe præ-
„ fata, Deo adjuvante, in eccleſia Dei ac potiſ-
„ ſimum in Urbe præfata proferre ſatagunt, pa-
„ terne dirigentes conſiderationis intuitum, eos-
„ demque presbyteros ſpecialibus favoribus &
„ gratiis proſequi volentes, & a quibusvis excom-
„ municationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque
„ eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure,
„ vel ab homine quavis occaſione vel cauſſa latis,
„ ſi quibus quomodolibet innodati exſiſtunt, ad
„ effectum præſentium tantum conſequendum,

harum

„ harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cen-
„ ſentes, ac eccleſiæ, conventus ſanctorum Johan-
„ nis & Pauli, illiusque abbatiæ præfatis, necnon
„ domui presbyterorum ſupradictæ congregatio-
„ nis Miſſionis alias conceſſiones, applicationes,
„ uniones, & incorporationes factas, & indulta
„ eis, & eorum cuilibet quomodolibet conceſſa,
„ verumque & ultimum dictæ abbatiæ vacationis
„ modum, etiamſi ex illo quævis generalis reſer-
„ vatio etiam in corpore juris clauſa reſultet, præ-
„ ſentibus pro expreſſis habentes, motu ſimili, &
„ ex certa ſcientia, meraque deliberatione noſtris,
„ deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hujus-
„ modi in præfata eccleſia ſanctorum Johannis &
„ Pauli nomen, titulum, denominationem, eſſen-
„ tiam, & inſignia abbatis, ac dignitatis præfatæ
„ abbatiæ, cujus & illi forſan adnexorum fructus,
„ redditus, & proventus quadrigentorum ducato-
„ rum auri de camera ſecundum communem æſti-
„ mationem, valorem annuum, ut accepimus,
„ non excedunt, quovis modo, aut ex alterius
„ cujuscunque perſona, ſeu per ſimilem vel aliam
„ liberam dicti Petri Cardinalis, vel cujusvis alte-
„ rius ceſſionem de illa in Romana curia, vel ex-
„ tra eam etiam coram notario publico, & teſtibus
„ ſponte factam, vel aſſequutionem alterius bene-
„ ficii eccleſiaſtici quavis auctoritate collati, non
„ tamen per obitum, etiam commenda præfata,
ceſ-

„ cessante, vacet, etiamsi tanto tempore vacave-
„ rit, quod ejus provisio juxta Lateranensis statuta
„ concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta,
„ dictaque abbatia dispositioni apostolicæ specia-
„ liter vel generaliter reservata exsistat, & super
„ ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus
„ haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa,
„ perpetuo supprimimus & extinguimus, ipsam-
„ que abbatiam cum ejus ecclesia, conventu pri-
„ modicto, & duobus viridariis præfatis, & aliis
„ quibuscunque illis adnexis membris, bonis, pro-
„ prietatibus, juribus, privilegiis, exemptionibus,
„ jurisdictionibus, & pertinentiis suis omnibus di-
„ ctæ ecclesiæ, & conventus præfati situ, stantiis,
„ adjacentiis, & pertinentiis universis, omnibus
„ aliis, & singulis ecclesiæ, conventus primodicti,
„ ac abbatiæ præfatæ, si qui alii ultra memoratos
„ sint, fructibus, redditibus, proventibus, juribus,
„ obventionibus & emolumentis universis tam
„ certis quam incertis quomodolibet, qualiter-
„ cunque, & undecunque provenientibus, & in
„ quibusvis rebus consistentibus, & ad quamcun-
„ que summam, & quantitatem ascendentibus,
„ cumque universa illius suppellectili sacra & pro-
„ fana inibi exsistente, & ad abbatem, seu pro
„ tempore commendatarium dictæ abbatiæ spe-
„ ctante, ac cum omnibus illius campanis, cru-
„ cibus, candelabris, calicibus, patenis, vasis,
thu-

„ thuribulis etiam aureis & argenteis, & quantum-
„ cunque pretiosis domui presbyterorum dictæ
„ congregationis Missionis de eadem Urbe pro
„ eorundem presbyterorum, & personarum eccle-
„ siasticarum in eadem domo degentium uberiori
„ substentatione eadem apostolica auctoritate,
„ tenore præmissis, ac motu, scientia, delibera-
„ tione, & potestatis plenitudine præfatis (sup-
„ portatis tamen per modernos & pro tempore
„ exsistentes superiorem & presbyteros dictæ con-
„ gregationis omnibus & singulis abbatiæ, & ec-
„ clesiæ, ac primodicti conventus hujusmodi one-
„ ribus) perpetuo unimus, adnectimus, & incor-
„ poramus, ita quod liceat eis per se, vel alium,
„ seu alios eorum ac dictæ congregationis nomine
„ veram, corporalem, realem, & actualem pos-
„ sessionem abbatiæ primodicti conventus, eccle-
„ siæ, & tam duorum viridariorum præfatorum,
„ quam aliorum ejusdem abbatiæ adnexorum,
„ membrorum, bonorum, proprietatum, jurium,
„ privilegiorum, exemptionum, jurisdictionum,
„ & pertinentiarum omnium præfatorum possessio-
„ nem propria auctoritate libere apprehendere, &
„ apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque,
„ redditus, proventus, & emolumenta quæcunque
„ abbatiæ, ac illius ecclesiæ, conventus primodi-
„ cti, & adnexorum præfatorum in quibusvis re-
„ bus ut supra consistentia, & undecunque, ut
præ-

„ præfertur, provenientia, propria auctoritate „ percipere, exigere, & levare, recuperare, lo- „ care, dislocare, & in ſuos, & eorum congre- „ gationis, & domus communes uſus, & utili- „ tatem convertere, aliaque omnia in præmiſſis, „ & circa ea quomodolibet neceſſaria & opportuna „ facere, gerere, & exercere cujusvis licentia „ deſuper minime requiſita: diſtrictius inhibentes „ tam dictæ provinciæ Angliæ, & illius conven- „ tus præfati, quam univerſi ordinis Prædicato- „ rum fratribus, ceterique ſuperioribus, & per- „ ſonis quibuscunque in præmiſſis quomodolibet „ intereſſe habentibus, ſeu habere prætendentibus, „ ne modernos, & pro tempore exſiſtentes ſupe- „ riorem, & presbyteros dictæ congregationis Miſ- „ ſionis de Urbe propterea quovis prætextu in- „ quietare, perturbare, & moleſtare audeant ſeu „ præſumant; decernentes quoque præmiſſa om- „ nia & ſingula, necnon eaſdem præſentes ex quo- „ cunque capite, vel quacunque cauſſa, quan- „ tumvis legitima, & juridica, etiam ex eo quod „ fratres dicti ordinis Prædicatorum, & nationis „ Anglicanæ, ſeu prior primodicti conventus, & „ quivis alius illorum, & univerſi ordinis Prædi- „ catorum magiſter generalis, ſeu alter ſuperior „ quacunque præfulgeat dignitate, etiam cardi- „ nalatus, gradus, conditionis, præeminentiæ in „ præmiſſis, & circa ea, aut eorum ſingulis quo-
modo-

„ modolibet, & ex quavis caussa aut occasione,
„ vel ratione, & actione jus vel interesse haben-
„ tes aut habere quomodolibet prætendentes ad
„ id vocati, citati, vel auditi non fuerint, seu ex
„ eo quod fratrum dicti ordinis Prædicatorum, &
„ nationis Anglicanæ, vel illius conventus prio-
„ ris, aut magistri generalis, vel superioris præfati,
„ seu aliorum quorumcunque in præmissis, ut præ-
„ fertur, interesse habentium seu habere præten-
„ dentium præfatorum expressus ad id non acces-
„ serit consensus, aut caussæ, propter quas præ-
„ sentes emanaverint, adductæ, verificatæ, &
„ justificatæ non fuerint, aut ex alia quacunque,
„ quantumvis justa, legitima, & juridica, pia,
„ & privilegiata caussa, colore, prætextu, & ca-
„ pite etiam in corpore juris clauso, etiam enor-
„ mis, enormissimæ & totalis læsionis nullo un-
„ quam tempore de subreptionis, vel obreptio-
„ nis, seu nullitatis vitio, vel intentionis nostræ,
„ aut jus, vel interesse habentium, consensus,
„ aliove quomodolibet, quantumvis magno, ma-
„ ximo, substantiali, inexcogitato, & inexcogi-
„ tabili, specificamque & individuam mentionem,
„ & expressionem requirente defectu, notari, im-
„ pugnari, retractari, annullari, invalidari, in
„ jus, vel controversiam vocari, aut adversus eas
„ quodcunque juris gratiæ, vel facti remedium
„ impetrari, seu impetrato, aut etiam motu,

„ ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, con-
„ ceſſo, vel emanato, in judicio, vel extra illud uti
„ ſeu ſe juvari poſſe, nec ſub quibusvis ſimilium,
„ vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſ-
„ penſionibus, limitationibus, modificationibus,
„ vel aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per
„ nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices
„ pro tempore exſiſtentes & ſedem præfatam ſub
„ quibuscunque tenoribus & formis, ac cum qui-
„ busvis clauſulis, & decretis, etiam motu pro-
„ prio, & ex certa ſcientia, etiam conſiſtorialiter,
„ & de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine pro tem-
„ pore factis & conceſſis comprehendi, vel con-
„ fundi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties
„ illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſ-
„ ſimum, ac eum, in quo antea quomodolibet
„ erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie
„ reintegratas, ac de novo etiam ſub quacunque
„ poſteriori data per modernos & pro tempore
„ exſiſtentes ſuperiorem & presbyteros congrega-
„ tionis Miſſionis de Urbe quandocunque eligen-
„ das, conceſſas, ac firmas, validas, & efficaces
„ eſſe, & fore, ſuosque plenarios & integros effe-
„ ctus ſortiri & obtinere, & ab omnibus, ad quos
„ ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpecta-
„ bit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſic-
„ que & non alias per quoscunque judices ordi-
„ narios, vel delegatos quavis auctoritate fungen-
tes,

„ tes, etiam caussarum palatii apostolici auditores,
„ ac sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, etiam de
„ latere legatos, vicelegatos, dictæque sedis nun-
„ cios, aliosque quoslibet quibuscunque præemi-
„ nentia, privilegio, aut prærogativa fungentes,
„ & quomodolibet functuros, sublata eis, & eorum
„ cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi
„ facultate, & auctoritate in quacunque caussa,
„ judicio, & instantia judicari, & definiri debere,
„ irritumque & inane quicquid secus super his a
„ quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno-
„ ranter contigerit attentari. Non obstantibus La-
„ teranensis concilii novissime celebrati, uniones
„ & concessiones perpetuas nisi in casibus a jure
„ permissis fieri prohibentis, nostrisque, & cancel-
„ lariæ præfatæ, præsertim quatenus opus sit de ex-
„ primendo vero annuo valore, & quatenus etiam
„ opus sit, de præstando consensu de jure quæsito
„ non tollendo, necnon de concessionibus, & dis-
„ membrationibus committendis ad partes voca-
„ tis, quorum interest, aliisque in contrarium
„ præmissorum quomodolibet editis regulis, cete-
„ risque apostolicis, etiam in universalibus, pro-
„ vincialibus conciliis editis, specialibus, vel gene-
„ ralibus constitutionibus, & ordinationibus, ac
„ suppressi Jesuatorum, & Prædicatorum ordinum
„ hujusmodi, & quatenus opus sit, ecclesiæ san-
„ ctorum Johannis & Pauli, ac congregationis

„ Missionis præfatarum, aliisque quibusvis, etiam
„ juramento, confirmatione apostolica, vel quavis
„ firmitate alia roboratis, statutis, eorumque re-
„ formationibus, & novis additionibus, stilis,
„ usibus & consuetudinibus etiam immemorabi-
„ libus, privilegiis quoque, indultis, & literis
„ apostolicis, etiam dilectis filiis populo Roma-
„ no contra forenses, & alienigenas, ac præfatis,
„ aliisque personis, & locis quibuscunque etiam
„ specifica, expressa ac individua mentione di-
„ gnis, etiam motu, scientia, & potestatis pleni-
„ tudine paribus sub quibuscunque tenoribus &
„ formis, ac cum quibusvis etiam derogatoria-
„ rum derogatoriis, aliisque efficacioribus & effi-
„ cacissimis, ac insolitis clausulis & decretis,
„ etiam quomodolibet irritantibus in genere, vel
„ in specie, aut alias quomodolibet in contra-
„ rium præmissorum quomodolibet concessis, ac
„ etiam pluries approbatis, confirmatis, iteratis,
„ & innovatis: etiamsi in eis caveatur expresse
„ quod præfata abbatia, aliaque Urbis beneficia
„ nonnisi civibus Romanis originariis, aut civium
„ Romanorum originariorum filiis, & forsan aliis
„ certo inibi expresso modo qualificatis personis
„ concedi queant, & alias de illis per sedem apo-
„ stolicam factæ dispositiones nullæ sint, quibus
„ omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumque
„ totis tenoribus specialis, specifica & individua,

&

„ & de verbo ad verbum, non autem per clau-
„ ſulas generales idem importantes mentio, ſeu
„ quævis alia expreſſio habenda, aut quæcunque
„ alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illo-
„ rum omnium & ſingulorum tenores, formas,
„ occaſiones, & cauſſas etiam quantumvis præ-
„ gnantes, pias, & privilegiatas, præſentibus pro
„ plene & ſufficienter, ac de verbo ad verbum
„ nihil penitus omiſſo, inſertis, & expreſſis, ac
„ exactiſſime adductis, & acuratiſſime ſervatis,
„ & ſpecificatis, reſpective habentes, illis alias in
„ ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum om-
„ nium effectum, motu, ſcientia, & poteſtatibus
„ plenitudine ſimilibus, hac vice duntaxat pleniſ-
„ ſime, & ſufficientiſſime derogamus, & ſufficienti
„ cauſſa derogari & derogatum eſſe velle decla-
„ ramus, ceterisque contrariis quibuscunque.
„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi-
„ nam noſtræ abſolutionis, ſuppreſſionis, extin-
„ ctionis, unionis, adnexionis, incorporationis,
„ inhibitionis, decreti, derogationis, & volunta-
„ tis infringere, vel ei auſu temerario contraire.
„ Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indi-
„ gnationem omnipotentis Dei, ac beatorum Pe-
„ tri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incur-
„ ſurum. Datum Romæ apud ſanctam Mariam
„ majorem anno incarnationis Dominicæ mille-
„ ſimo ſexcenteſimo nonageſimoſeptimo, ſexto
idus

„ idus Septembris, Pontificatus nostri anno sep-
„ timo.

VIII. Hactenus Innocentii literæ, quarum expeditioni possessio basilicæ, & monasterii accessit per virum a probitate & doctrina singularem Pellegrinum de Nigris ejusdem congregationis presbyterum tunc Romanæ domus prorectorem. Nova interim domus sanctorum Johannis & Pauli alteri montis Citatorii adjuncta fuit uni subdita rectori. Deinde translato illuc Romanæ provinciæ tyrocinio, ibique collocatis ad philosophica, & theologica studia percurrenda ejusdem provinciæ clericis, loci amœnitate ac amplitudine, & saluberrimo cœlo invitante, primus rector ei præfuit post administratam Romanam congregationis provinciam, & aliam montis Citatorii domum vir prudentiæ & literarum laude clarissimus Petrus Jordaninus Academiæ nobilium ecclesiasticorum rector optimus, quam summa omnium commendatione moderatur: cujus incremento totum admovet animum sapientissimus Pontifex Clemens XI., qui sua in omnegenus hominum benevolentia, & admirabili, qua fervet, de ecclesiastica disciplina restituenda sollicitudine veræ laudis fastigium adsequitur; necnon Josephus Renatus Imperialis amplissimus Cardinalis, qui Romanæ ecclesiæ spectata ubique gentium animi integritate & vigilantia maximo

ximo est profectui atque ornamento. Hinc Missionis congregatio ingentis adeo muneris dignitate, aliisque pluribus in Pontificem Innocentium obstricta, marmoreo ejusdem simulacro, quod in aula majori montis Citatorii domus erexit, pereleganti hac subjecta inscriptione publicum grati animi monumentum adposuit:

INNOCENTIO XII.

PONTIFICI MAXIMO

Ob auctam hanc domum

Ingentibus beneficiis;

Aliamque

Sanctorum Johannis & Pauli

In monte Cœlio erectam

Principi munificentissimo


Anno Jubilæi

M D C C.

CA-

CAPUT IX.

De titulo ſanctorum Johannis & Pauli, ejusque antiquitate.

I. Etustam hanc ſanctorum Johannis & Pauli baſilicam paullo poſt ab ejus origine in titulum Romanæ eccleſiæ erectam, & presbytero in parœcialem domum, ut olim moris fuit, diſtributam fuiſſe nemo non arbitratur. Id probat præter ſcriptorum teſtimonia Romana ſynodus anno nonageſimo-octavo ultra quadringenteſimum Symmacho Pontifice celebrata, cui duo titulares presbyteri ſubſcripſerunt, *Gordianus* ſcilicet, & *Johannes*. Cur autem *Pammachii* titulo fere undique nuncupata ſit, eam eſſe cauſſam puto, quia a Pammachio condita: quin etiam identidem *Byzantii* titulus appellatur, quum nimirum Byzantius Pammachii pater operam ad baſilicæ fundationem admoverit, quo ſuperſtite cœptum eſt ædificium. Solebant enim Romanæ eccleſiæ presbyteri, quibus ſacra ædes in titulum addicta erat, præter martyris nomen, cui dicabatur, illud etiam fundatoris ſibi vendicare,

quod

quod plerunque in ſubſcriptionibus uſurpabant, ſicut etiam hac ætate penes aliquos viget conſuetudo. Emergit hinc Alphonſi Ciaconii lapſus in vita Hygini, qui inter vigintiquinque titulos, quos Marcellus Pontiſex Romanis presbyteris diſtribuit, illum ſanctorum Johannis & Pauli enumeravit. Id enim ſi veritati conſonum foret, inclyta hujus baſilicæ primordia corruerent, quum illa non ſenatori Pammachio, ſed alteri hujus nominis eſſent vendicanda. Ciaconius quippe nimis ab errore occupatus haud obſervat Marcellum Pontificem longe ante ſanctorum Johannis & Pauli martyrium in humanis egiſſe, quum nempe anno trecenteſimoquarto in apoſtolica ſede Pontifex fuerit, & ſancti Fratres, Juliano imperante, anno trecenteſimo ſexageſimotertio martyrium conſummaverint; ideo nunquam potuit Marcellus ſanctorum Johannis & Pauli titulum inter vigintiquinque antiquiores diſtribuiſſe, ac proinde nec alium fuiſſe Pammachium a ſenatore hujus baſilicæ conditorem ſine errore adſtrui poteſt. Quamobrem fatendum profecto eſt lapſum eſſe Ciaconium, & pro altero vetuſtiori ſanctorum Johannis & Pauli titulum enumeraſſe, quibus ſacram ædem certiori argumento, meo quidem judicio, ſanctus Pontifex Innocentius I. circa annum humanæ ſalutis quadringenteſimumdecimum Romanæ eccleſiæ presbytero in titulum adſignavit.

II. Quid olim fuerint ejusmodi Romanæ ecclesiæ tituli nemo est inter eruditos quem lateat, si Johannem Filesacum in libro de parœciarum origine capite secundo & tertio, Franciscum Florentinium in vetusto martyrologio ad diem primam Augusti, aliosque sacros scriptores consuluerit. Id quoque a me latiori calamo scripto traditum est in libro secundo de basilica sancti Clementis capite quinto, ubi præterea me scripsisse memini quemadmodum veteri Christianorum ævo usus invaluit, ut uni titulo plures addicerentur presbyteri, eo fere modo, quo huic sanctorum Johannis & Pauli duos addictos fuisse prænotavi. Duo item alii in concilio Romano Gregorio Magno Pontifice celebrato hujus tituli presbyteri interfuerunt, videlicet *Deusdedit* & *Johannes*, quorum memoriam habet sanctus Pontifex in epistola vicesimasecunda libri noni epistolarum, ubi testandi facultatem admittit Probo monasterii sancti Andreæ abbati, episcopis, & presbyteris Romanæ ecclesiæ considentibus, cum quibus eidem statuit facultatem. Necnon iis epistolam, seu potius apostolicum diploma inscripsit, quod in marmore exsculptum adhuc in basilica annorum edacitati superstes est, quodque hic, ut pollicitus sum, exhibendum putavi:

GRE-

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei.

Dilectiſſimis in Chriſto filiis Deusdedit cardinali, & Johanni archipresbytero tituli ſanctorum Johannis & Pauli, & per vos in eodem titulo in perpetuum.

„ CReditæ ſpeculationis impellimur cura &
„ ardore Chriſtianæ religionis, etiam ſtu-
„ dio Divini cultus promovemur pro venerabi-
„ lium piorumque locorum præcogitare ſtabili-
„ tate, atque Deo ſervientium ſecuritate, ut hoc
„ proveniente pio labore, & animæ Chriſto di-
„ catæ eique ſe illi diebus vitæ eorum ſervire
„ decreverunt, perſeverent, & imperturbate, nec-
„ non in illa maneant finetenus firma, quæ a
„ Chriſtianis in Dei laudem conſtructa ſunt.
„ Quia igitur dilectio, atque religioſitas veſtra
„ petiit nobis, quatenus hos fundos in integro
„ ſitos territorii Bellitrinenſis mill. XXII. &c.

Aliosque in alio lapide enumerat, quos ſuperius recenſui; deinde epiſtolæ ſenſum in eadem tabula reaſſumit:

„ Vestræ ecclesiæ confirmaremus, & nos ita con-
„ firmamus, ut si quis Dei temerator exstiterit,
„ anathematis vinculo subjaceat in perpetuum.

III. Hactenus Gregorii diploma, in cujus inscriptione illud notam meretur, quod sanctus Pontifex Deusdedit hujus tituli presbyterum *cardinalis* nomine vocat, unde *cardinalis* vocabuli in Romana ecclesia antiquitas observatur. Cardinalis enim voce Deusdedit presbyterum Gregorius appellat, quia in titulo sanctorum Johannis & Pauli ceteris uti principalis ac dignior præerat ministris. Mutuatum est cardinalis nomen a cardine, vel quia cardinalium consiliis Romana ecclesia, quæ omnium est cardo, dirigitur, vel quia super illos quasi cardines Christiana respublica vertitur. In albo officiorum Theodosii Imperatoris, ut notavit Caspar Sagittarius in suo libro de januis veterum capite septimo, cardinales vocantur præfecti prætorio Asianæ diœceseos, & præfectus Africæ, quod ceteris essent majores. Unde civilium magistratuum exemplo fortasse in ecclesiam cardinalium nomen manavit, quo jam illos vocari inoleverat consuetudo. Sunt vero qui censeant sancti Pontificis ætate cardinalem presbyterum, vel episcopum, aut diaconum eum appellari, qui quum ad aliquam assumptus fuerit ecclesiam, ad aliam episcopo, vel presbytero destitutam transferebatur:


verum

verum *cardinare* aut *incardinare*, vel *cardinalem ſacerdotem conſtituere* in epiſtolis ſancti Gregorii Magni (ut ſæpenumero occurrit) necnon apud Johannem Diaconum in ejus vita, nedum ſignificare videtur id quod aliunde *transferre*, & alicui eccleſiæ ſacerdotem translatum præficere, ſed illud etiam quod *ordinare*, & in eccleſia aliquem conſtituere, ut palam facit idem Johannes Diaconus in libro tertio capite decimo. Quare arbitror ſancti Gregorii ævo, quin immo plura ante ſæcula ſancto Silveſtro Pontifice, quum primum *cardinalis* nomen in eccleſiam inductum fuit, duplici ſignificatione cardinales nuncupatos fuiſſe: vel quia certæ eccleſiæ adſcripti erant ac veluti inſerti, vel quia in eccleſiis principes erant ac digniores; idque duplici etiam de cauſſa: aut quia eccleſia, cui addicebantur, principalis erat ac dignior, aut quia cardinales epiſcopi, ſacerdotes, & diaconi inter ceteros ejusdem ordinis uti principes eminebant; quo nimirum ſenſu Gregorius Magnus Deusdedit ſanctorum Johannis & Pauli presbyterum *cardinalem* vocavit. Plura diſerte ſcripſit de cardinalium origine ac nomine, quæ ab inſtituto noſtro aliena ſunt, Ludovicus Thomaſſinus vir in literis ſummus parte prima veteris ac novæ eccleſiæ diſciplinæ libro ſecundo capite nonageſimoquinto.

CA-

CAPUT X.

Vetera basilicæ sanctorum Johannis & Pauli monumenta.

I. RIMUM sibi vindicat locum inter vetera basilicæ monumenta Johannis I. Romani Pontificis nomen, qui antequam ad apostolicam sedem eveheretur, præ aliis sanctorum Johannis & Pauli presbyteris, omnium prior basilicam summa hac dignitate illustravit. Illum enim Gelasius Pontifex sanctorum Johannis & Pauli titulo in ordinem presbyterorum adlegit; idemque in Romana prima synodo, quam Symmachus celebravit, una cum Gordiano ejusdem tituli presbytero subscripsit: deinde anno quingentesimo vicesimotertio ad Pontificiam sedem elatus, inter egregia, quibus claruit, opera, Theodorico Gothorum rege cogente, Constantinopolim ad Justinum Imperatorem profectus est; ubi magno exceptus honore id potissimum egit, ut Arianis expulsis, templa Catholicæ religionis cultoribus redderentur: ac primus omnium inter Pontifices primum omnium inter Imperatores Justinum

ſtinum imperiali diademate ornavit. Ravennam hinc ad Theodoſium regem reverſus, Arianis infenſo animo enixe ſtimulantibus, in carcerem conjectus eſt, ubi pædore, ſitu, & inedia optimus martyr occubuit.

II. Nomen item legitur in ſacris tabulis ſancti Agapeti, quem anno quingenteſimo triceſimoquarto Romanum Pontificem coluit eccleſia. Hic Gordiani presbyteri ſanctorum Johannis & Pauli, cujus nuper memini, filius inter minores baſilicæ clericos patre ſuperſtite fuit; ejusque mentionem agit vulgatus Anaſtaſius in libro de Romanis Pontificibus: „ Agapetus (inquit) natione „ Romanus ex patre Gordiano presbytero cleri- „ cus ad ſanctos Johannem & Paulum. Invicti animi Pontifex Romanæ eccleſiæ jura conſtantiſſime propugnavit. A Theodato Gothorum quoque rege Conſtantinopolim ad Juſtinianum Imperatorem adire coactus, in itinere, ut antiqui ſcriptores referunt, nonnulla divinitus edidit miracula. Conſtantinopoli Anthimum, quem Theodora Auguſta in illam ſedem ex Trapezuntina intruſerat, in ſalutationem renuit ſuſcipere, niſi prius ſe Orthodoxum dato libello probaret, & ad Trepezuntinam ſedem rediret. Ab illo Anthimus interrogatus, quum duas in Chriſto mordicus negaret naturas, & Imperatori Juſtiniano fraus improba comperta fuerit, ab archiepiſcopali dignitate depoſitus

ſitus eſt, & in exſilium illico ablegatus, ſuffectusque Menas vir ſanctimonia & doctrinæ præſtantia clariſſimus. Quæ omnia Pontifex Agapetus per encyclicas literas ad Orientales epiſcopos inſcriptas renunciavit. Quum autem in Italiam reditum cogitaret, repentino morbo correptus, vita functus eſt, ejusque corpus Romam deinde translatum, in baſilica Vaticana ſepulcro traditum fuit.

III. Anno ſexcenteſimo decimoquinto alium ſanctorum Johannis & Pauli presbyterum Romanum Pontificem electum fuiſſe plerique eccleſiaſtici auctores obſervant, nimirum Deusdedit cardinalem, cui ſanctus Gregorius Magnus præfatum diploma nuncupavit, & qui in ſecunda ſynodo Romæ habita ſuffragium tulit: hunc Cardinalis Baronius, ut notat in ejus vita Auguſtinus Oldoinus apud Ciaconium, non hujus tituli presbyterum, ſed ſubdiaconum arbitratur. Erat Deusdedit vocabulum ex nomine & verbo compoſitum, ac ea ætate frequens, ne quis putet novum ac inuſitatum huic Pontifici nomen fuiſſe: epiſtolam enim dirigit Aurelius Caſſiodorus ad *Deusdedit* ſcribam Ravennatem, & ſanctus Auguſtinus ad *Quodvultdeum* aliam inſcripſit. Verum inter illuſtria hujus Pontificis geſta illud præ omnibus hominum memoria dignum eſt, quod quum urbs Roma elephantiæ morbo miſerrime afflicta laboraret, & præ-

ſens

ſens ſanctiſſimus Pontifex viſitaret ægrotos, unum ex illis deoſculatus, divino miraculo priſtinæ ſanitati reſtituit. Exſtat inter ejusdem ſcripta fragmentum duntaxat apud Gratianum unius epiſtolæ ad Gordianum in Hiſpania epiſcopum de viris ac mulieribus, qui proprios liberos e ſacro lavacro ſuſcepiſſent, quos ex prædeceſſorum ſententia a carnali copula juſſit omnino abſtinere. Præfuit apoſtolicæ ſedi juxta ſancti Antonini chronologicam numerationem annos duos & dies viginti. Alios Romanæ eccleſiæ cardinales, qui ex titulo ſanctorum Johannis & Pauli ad Pontificatum aſſumpti fuerunt, nimirum Cencium Sabellum, qui Honorii III. accepit nomen, Stephanum Albertum Innocentii VI., Hadrianum Florentium Hadriani VI., Alexandrum Mediceum Leonis XI., & Camillum Burgheſium Pauli V., inferius opportuno loco numerandos hic prætereo, quum nempe de ſingulis hujus tituli cardinalibus ſermo redibit, quorum præclara geſta ſummatim deſcribam.

IV. At quia de presbyteris, ſacrisque miniſtris, qui olim baſilicæ ſanctorum Johannis & Pauli famulati ſunt, verba facimus, huc ſpectat vetus in baſilica ſancti Pauli exſculptus lapis in nave ab ara media ad converſionem uſque ſancti Pauli inter ſecundam & tertiam columnam poſitus, qui, ut notat inſcriptionum baſilicæ collector Cornelius Margarinus num. 396. (ſuppreſſo tamen

P no-

nomine) annum præfert quingentesimum tricesimum; hujus pars est:

Hic requiescit Romanus
In pace
Dep. xv. *kal. Iunii.*

altera inversa his notis:

Locus Donati mansionarii
Sanctorum
Iohannis & Pauli.

Satis his constat inter ministros, quos habuit sanctorum Johannis & Pauli basilica, etiam *mansionarios* fuisse. Mansionarii, ut habet Mabillonius in suo commentario ad ordinem Romanum capite quarto, necnon Thomassinus in tomo primo libro altero capite centesimotertio, sacrarum ædium custodes erant, sive æditui vel matricularii ad eas ornandas atque emundandas, aliaque necessaria præstanda designati, mansionarii ideo appellati, quod mansionem seu ædem ecclesiæ adjunctam habebant. Apud Gregorium Magnum libro tertio dialogorum capite vicesimoquarto & quinto Abundius *mansionarius* & *custos* promiscue nuncupatur. Erant hi, teste Anastasio in vitis Benedicti III., Johannis V., & Gregorii V. Pontificum, qui-

quibus etiam reliquiarum, & phylacteriorum cura incumbebat, necnon clavium ecclesiæ, ut recte monet Leo Ostiensis in chronici libro secundo capite tricesimoquarto. Frequens est apud ecclesiasticos scriptores *mansionarii* nomen: præ aliis enim apud Carolum Cangium in tabulario Casauriensi, cujus late memini in libro primo de sancto Clemente Papa & martyre capite sexto & sequentibus, chartam anni nongentesimi septuagesimiquinti subscribit Scambertus presbyter monachus & *mansionarius*.

V. Supersunt hic adnectenda sancti Gregorii Pontificis cultus & honoris argumenta, quibus sanctorum Johannis & Pauli basilicam & proximum monasterium amplissime cumulavit. Primum est prædiorum omnium, quibus monasterium fruebatur, approbatio, unde illa apostolico, quod exhibui, diplomate eidem perpetuo adjudicavit. Alterum suppeditat homilia tricesimaquarta super euangelia, quam ad populum Romanum Dominica tertia post Pentecostem super euangelium Lucæ capite decimoquinto in hac basilica recitavit. Tertium litaniarum septiformium indictio, quas Romæ ad luem avertendam indixit, ubi populum in septem classes distribuit, eumque in sollemni supplicatione e septem præcipuis Urbis ecclesiis egredi jussit. Has inter sanctorum Johannis & Pauli basilica enumeratur, unde pro una

litaniarum indictione infantes & pauperes, & pro altera monachi procedentes egrediebantur. Priorem refert Gregorius Turonensis in libro decimo historiæ Francorum, ubi earum ordinem ita describit:

„ Clerus igitur egrediatur ab ecclesia sanctorum Cosmæ & Damiani cum presbyteris regionis sextæ.

„ Omnes vero abbates cum monachis suis ab ecclesia sanctorum martyrum Gervasii & Protasii cum presbyteris regionis quartæ.

„ Omnes abbatissæ cum congregationibus suis egrediantur ab ecclesia sanctorum Marcellini & Petri cum presbyteris regionis primæ.

„ Omnes infantes & pauperes *ab ecclesia sanctorum Martyrum Johannis & Pauli* cum presbyteris regionis secundæ.

„ Omnes vero laici ab ecclesia sancti protomartyris Stephani cum presbyteris regionis septimæ.

„ Omnes mulieres viduæ ab ecclesia sanctæ Euphemiæ cum presbyteris regionis quintæ.

„ Omnes autem mulieres conjugatæ ab ecclesia sancti martyris Clementis cum presbyteris regionis tertiæ.

Alte-

Alterius indictionis testis est idem sanctus Pontifex in sermone de tempore mortalitatis libro secundo inter ejus epistolas edito, quem habuit in basilica sanctæ Sabinæ, ubi collecti populi cœtum hoc ordine procedere jubet:

„ Litania clericorum exeat ab ecclesia divi
„ Johannis Baptistæ.
„ Litania virorum ab ecclesia beati martyris
„ Marcelli.
„ Litania monachorum *ab ecclesia beatorum*
„ *Martyrum Johannis & Pauli.*
„ Litania ancillarum Dei ab ecclesia beato-
„ rum martyrum Cosmæ & Damiani.
„ Litania feminarum conjugatarum ab ec-
„ clesia beati primi martyris Stephani.
„ Litania viduarum ab ecclesia beati mar-
„ tyris Vitalis.
„ Litania pauperum & infantium ab ecclesia
„ beatæ martyris Cæciliæ.

VI. Quartum honoris argumentum exhibet statio tertia die Veneris a magno jejunio, quam inter alias singulari nota huic basilicæ adsignavit. Id quoque ex antiquo indice sollemnium collectarum, & stationum sanctæ Romanæ ecclesiæ ex duobus membranaceis codicibus deprompto observavit Mabillonius, quem etiam in tomo secundo

musei

musei Italici in lucem emisit. De statione hæc verba sunt: „ Feria sexta post quinquagesimam „ collecta ad sanctam Luciam in septem soliis. „ *Statio ad sanctos Johannem & Paulum*. Et de collecta hæc habet: „ Dominica quinta fe- „ ria sexta *collecta ad sanctos Johannem & Pau-* „ *lum*. Statio ad sanctum Stephanum in monte „ Cœlio.

VII. Hic autem rerum dignitas exigit, ut de statione & collecta, quæ sanctorum Johannis & Pauli basilicæ tot ab hinc sæculorum decursu adscriptæ sunt, deque celebris adeo sacræ antiquitatis monumenti consuetudine in medium aliquid proferam. Stationis vox ambigua aliquando pro jejunio voluntario, quandoque pro statu orantium usurpatur. In utraque significatione passim apud Tertullianum, aliosque veteres scriptores occurrit: attamen in præsentiarum pro populi frequentia ad locum indictum, nempe ad ecclesiam accipitur. in qua, ut antiquorum mos fuit, clericorum processio statis diebus ad statas preces faciendas consistere solebat. Vetus quippe in Urbe ritus fuit, ut certis diebus Romanus clerus supplicationis caussa in aliquam conveniret ecclesiam, ubi sacra fierent, divinaque officia celebrarentur. Cleri Romani processionem, uti luculenter distinguit Mabillonius in Commentarii ad ordinem Romanum capite quinto, duplicem faciunt auctores, sollemnem sci-

ſcilicet & privatam: hæc fit quum unusquisque privatim in locum indictum ſe recipit, ſicut etiam hodierna viget conſuetudo: ſollemnis vero, quum ſollemni ac publico ritu ſacras canendo preces Pontifex aliique eccleſiaſtici ordinis viri eo ſe conferunt. Sollemnes haſce proceſſiones collecta præcedit, nempe clericorum in una eccleſia coadunatio, ut inde quaſi agmine facto in locum ſtationis procedatur, ita fortaſſis dicta, quod in loco clerus cum populo ad proceſſionem peragendam colligatur; quemadmodum illam explicavit ſanctus Hieronymus in epitaphio ſanctæ Paulæ, aliique ſcriptorum nonnulli. Sed quia in loco, ubi collecta fit, ante proceſſionem ſuper populum oratio funditur, hinc eſt, quod ejusmodi orationes etiam *collectæ* nomine appellantur, ſicut illas appellaverunt celeberrimi auctores Alcuinus, Hugo a ſancto Victore, Walfridus, ceterique antiquorum. Fieri ſolebant hæ collectæ quadrageſimali præſertim jejunio, & in ſingulis quatuor temporum triduis, ut hodie quoque in miſſalibus notantur, propterea quod illis diebus ſollemnis proceſſio conſueverat celebrari. Harum auctorem præcipuum, ut obſervat Cornelius Schultingius in bibliothecæ eccleſiaſticæ tomo ſecundo, parte ſecunda, capite ſeptimo, Gelaſium Pontificem plerique putant qui de ſacris ritibus ſcripſerunt, easque ad miſſarum ſollemnia totius anni compoſuiſſe.

VIII. Ut vero ad ſtationes redeam, unde oratio diverterat, illas Gregorius Magnus antea vagas certisve eccleſiis minime addictas in ſuo ſacramentario fixas conſtituit, & ut loquitur Johannes Diaconus in ejus vita libro tertio capite duodeviceſimo ,, per baſilicas & beatorum mar-,, tyrum cœmeteria ordinavit. Primitus autem, (quod erudite notat Mabillonius) ſtationes illæ inſtitutæ fuerunt vel ob ſanctorum martyrum natalitia, vel ob dies publicæ proceſſionis aut miſſæ ſacratiori tempore celebrandæ; etenim illæ ob ſanctorum martyrum natalitia in eorum memoriis ac cœmeteriis, hoc eſt baſilicis ſuper eorum ſepulcra ædificatis ordinabantur: unde quum omnibus innoteſcerent Sanctorum feſtivitates ac memoriæ, ideo ſtationum diem & locum in ſacramentariis conſtitui neceſſe non erat, nanque in illis quæcunque propriæ Sanctorum miſſæ habebantur, publicas exigebant ſtationes. Aliorum tamen dierum ſtationes, quadrageſimæ, quatuor temporum, adventus, & ſimilium quum incertæ forent, eas deſignari oportebat, nequa oriretur dubitatio ad quamnam eccleſiam pro publica ſtatione eſſet procedendum: quamobrem Pontifex Gregorius Magnus certis illas diebus, ut omnibus palam fierent, in ſacramentario ordinavit, & in baſilicis Urbis conſtituit.

CA-

CAPUT XI.

Alia basilicæ sanctorum Johannis & Pauli monumenta.

I. ONUMENTUM de hac basilica tam illustre quam antiquum memorat Petrus Mallius de rebus sacris gravis in primis auctor sancti Petri canonicus in suo codice, cujus partem Johannes Mabillonius in tomo secundo musei Italici typis vulgavit, necnon Johannes Diaconus in libro de basilica Lateranensi ibidem etiam edito, ubi patriarchalium in Urbe basilicarum mentionem agunt, quibus adscripti presbyteri cardinales per septennarium numerum distributi in illis singillatim diuturnum missæ pensum solvebant. Quinque Urbis patriarchales basilicæ enumerantur, Lateranensis nimirum, cui septem episcopi cardinales addicti erant, Vaticana, sancti Pauli in via Ostiensi, Liberiana, quam etiam *sanctæ Mariæ ad præsepe* ac *sanctæ Mariæ majoris* nomine vocant, & demum sancti Laurentii in agro Verano, quibus undetriginta cardinales presbyteri adscribebantur. At *patriarchales* ideo

Q nuncu-

nuncupari mos fuit, vel quia iis adjuncta erant palatia ſive patriarchia, vel quia utpote ſine titulo propriæ Romani Pontificis erant, quum definitum populum non haberent, ſed omnium cenſerentur, vel quia denique totidem patriarchales ſedes pro quinque præcipuis Catholici orbis patriarchis repræſentent. In his antiqui ſeptem epiſcopi, & vigintiocto presbyteri cardinales per hebdomadam ſeptennario ordine diviſi ſacrum celebrabant. Inter illos baſilicæ ſancti Laurentii extra Urbis mœnia adſcriptos, presbyter cardinalis ſanctorum Johannis & Pauli his verbis a Mallio memoratur: „ Cardinales ſeptem patriarchalis eccleſiæ ſancti „ Laurentii foris murum hi ſunt: Sanctæ Praxedis, „ ſancti Laurentii in Lucina, ſanctæ Crucis in Je„ ruſalem, ſancti Stephani in monte Cœlio, *ſan„ ctorum Johannis & Pauli*, & ſanctorum qua„ tuor Coronatorum.

II. Alia inſuper illuſtris memoria occurrit de hac baſilica apud antiquum Cencii Camerarii codicem, quem etiam Mabillonius de re literaria ubique locorum meritus meliori luce donavit in ejusdem muſei Italici tomo ſecundo, de quo Onuphrius hæc præfatur: „ Codex cenſuum inſcriptus „ a Cencio diacono cardinali ſanctæ Luciæ in „ Orphea, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ camerario „ ſub Celeſtino III. In eo cum omnibus ſanctæ „ Romanæ eccleſiæ redditibus, vectigalibus, & cen-

ſibus

„ ſibus ab eodem Cencio ſumma diligentia cum „ ſingulorum publicis inſtrumentis in unum redactis, vetuſtiſſimus etiam ritualis ſive cæremonialis liber deſcriptus eſt, in quo ſanctæ illius „ & venerandæ vetuſtatis puritas & ſinceritas, atque Romanæ eccleſiæ in tractandis ſacris, & re „ divina celebranda ſumma cura & obſervantia „ inſpicitur. Hæc Onuphrius. Inter ejusmodi redditus, ſive Romanæ eccleſiæ vectigalia *presbyterium* legitur, quod erat quædam pecuniæ ſumma aut eleemoſyna, quæ olim pluribus Urbis tribuebatur eccleſiis: præ quibus ſanctorum Johannis & Pauli baſilicæ *presbyterium* pro thuribulo erogari auctor Cencius teſtatur.

III. Idem Cencius jam ad Pontificatus apicem Honorii III. nomine evectus plura & ampliſſima dedit in ſanctos Martyres, in eorumque baſilicam maximi honoris argumenta. Ad baſilicam quod attinet, hic olim Pontifices ſedem habuiſſe auctorum aliqui tradiderunt, ut notant Lucius Faunus in libro tertio, & Blondus in libro primo Romæ inſtauratæ; quinam vero hi fuerint Pontifices, obſcurum eſt: ego tamen inter illos Honorium III. fuiſſe conjectura ſum auguratus. Nemo enim ignorat, qui Romanas callet antiquitates, Honorium Pontificem palatio in Aventino, ubi ædem habebat, una cum ſanctæ Sabinæ baſilica ſanctum Dominicum ordinis Prædicatorum fundatorem dona-

visse; vero ideo simillimum est Honorium, postquam Aventinum deseruit, in Cœlium se recepisse in monasterio sanctorum Johannis & Pauli, quorum memoriam peculiari cultu prosequebatur, ibique aliquantulum Pontificiam sedem habuisse. At scriptores nonnulli arbitrati sunt re ipsa in Cœlio monte Pontificium palatium olim fuisse constructum, cujus rudera adhuc penes basilicam superesse putavit Blondus, in cujus opinionem recentiores quidam venerunt. Verum rudera illa, quæ palatii Pontificii feruntur, Ethnicæ potius Romæ ævo quam Christianæ proxima esse, præter cæmentitium opus, vicina monumenta satis evincunt.

IV. Spectant etiam ad basilicæ monumenta plures altarium consecrationes antiquæ & recentes, de quibus quicquam nota dignum scriptis tradere consultum existimavi. Martinellus in libro de Roma sacra veteres quarundam instaurationum, consecrationum, & sepulcrorum aliquot inscriptiones in hac basilica olim exsculptas in medium profert, quarum prior de prisca altaris consecratione hæc habet:

Anno Domini M C LVII.
Pontificatus D. Hadriani IV. Papæ
Anno IV.
Kalend. Ianuarii
Per Iohannem presbyterum cardinalem,

Qui

Qui totum opus simul & altare
Construxit,
Consecratum est hoc altare
A Viliano Pisano archiepiscopo
Viro religioso
Ad honorem Dei omnipotentis,
Et sancti confessoris Nicolai,
Et protomartyris Stephani,
Et sancti Silvestri,
Et omnium apostolorum,
Et sanctorum Chrysanti & Dariæ
Martyrum,
Quorum reliquiæ
Ibi plurimæ reconditæ sunt.

Alia consecrationis minus veteris, sed majoris dignitatis sic fertur:

Anno Domini MCCLVI.
Indictione XIV.
Pontificatus D. Alexandri IV. Papæ
Anno II.
Consecratum est hoc altare
In die palmarum
Ad honorem Dei omnipotentis,
Petri & Pauli,
Et aliorum apostolorum
Per ipsum Papam,

Qui

Qui annis ſingulis
Ad hanc eccleſiam accedentibus
In aſſumptionis
Beatæ Mariæ Virginis die,
Et uſque ad quindecim ſequentes
Duodecim annos
De vera indulgentia
Conceſſit.

V. Recentis altarium omnium baſilicæ conſecrationis memoria, ſedente Sixto V. Pontifice, opera Antonii Carrafæ hujus tituli cardinalis, adhuc viſitur in ipſa baſilica marmorea in tabula his verbis exſculpta:

Antonius Carrafa
Hujus tituli
S. R. E. presbyter cardinalis
Sex hujus eccleſiæ altaria
A Ludovico archiepiſcopo Montis-regalis
Die feſto ſancti Ioſeph
M D LXXXVIII.
Conſecrari curavit:
Quo die quotannis
Viſitantibus unum ex ipſis altaribus
Sixtus Papa V.
Decem annos de vera indulgentia
Conceſſit.

Ex-

Extrema ac tempore propior altarium basilicæ consecratio, postquam in recentiorem formam ingenti sumptu cardinalis Hovardi redacta fuit, Vincentio Mariæ Ursino Cardinali Beneventanæ ecclesiæ archiepiscopo, principi morum integritate & literarum præstantia singulari debetur. Hujus documentum publica firmatum fide hic evulgandum duxi, ut scilicet luculentiori testimonio res in apertum prodiret:

In Christi nomine. Amen.

„ PRæsenti hoc publico instrumento cunctis
„ ubique pateat evidenter & notum sit, qua-
„ liter die & anno, quibus infra, ego notarius apo-
„ stolicus protonotarius nuncupatus jussu emi-
„ nentissimi & reverendissimi domini cardinalis
„ Hovardi de Norfolch ordinis Prædicatorum
„ ecclesiæ sanctorum Johannis & Pauli, ubi nunc
„ fratres Angli ejusdem ordinis degunt, instaura-
„ toris accessi ad ecclesiam eandem, & inveni
„ hora circiter decimaquinta eminentissimum &
„ reverendissimum in Christo patrem & dominum
„ dominum fratrem Vincentium Mariam præfati
„ ordinis Prædicatorum miseratione divina tituli
„ sancti Sixti sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyte-
„ rum Cardinalem Ursinum sanctæ Beneventanæ
„ ecclesiæ archiepiscopum, qui instante eodem
emi-

„ eminentiſſimo de Norfolch, & patribus ſupra-
„ dictis, præhabita facultate ab illuſtriſſimo &
„ reverendiſſimo domino Stephano Menatti epi-
„ ſcopo Cyrenenſi vicesgerenti eminentiſſimi do-
„ mini Cardinalis Caſparis de Carpineo ſanctiſſimi
„ domini noſtri Papæ vicarii, ſollemni ritu ſacra-
„ vit quinque altaria ejusdem eccleſiæ, videlicet
„ aram maximam ſub invocatione *ſanctorum Jo-*
„ *hannis & Pauli*, qui de eadem familia Urſina
„ fuiſſe perhibentur, ſanctiſſimi Roſarii, ſancti
„ Saturnini, ſancti Thomæ Aquinatis, & ſancti
„ Dominici, confecta ex ſex antiquis altaribus in
„ alio ſitu antiquitus exſiſtentibus, de quibus hæc
„ poſuerat memoria in lapidem inciſa tenoris ſe-
„ quentis: *Antonius Carrafa hujus tituli ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis ſex hujus eccleſiæ altaria a Ludovico archiepiſcopo Montisregalis die feſto ſancti Joſeph* MDXXCIIX. *conſecrari curavit, quo die quotannis viſitantibus unum ex iis altaribus Sixtus Papa V. decem annos de vera indulgentia conceſſit.* Præfatum vero eminentiſſi-
„ mum archiepiſcopum Urſinum, quum quinque
„ dicta altaria ſacraret, vidi in altari majori ad-
„ ponentem capſulam plumbeam forma oblon-
„ gam tres digitos latam, quatuor longam he-
„ ſterno die a ſe benedictam, in qua erant reli-
„ quiæ ſanctorum martyrum Evagrii & Quintillæ,
„ tria grana thuris cum chartula de pergameno

teno-

„ tenoris, qui ſequitur: [M DC LXXXIX. die XXVIII.
„ menſis Maii, ego frater Vincentius Maria ordinis
„ Prædicatorum miſeratione divina tituli ſancti
„ Sixti ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter Cardi-
„ nalis Urſinus, ſanctæ Beneventanæ eccleſiæ ar-
„ chiepiſcopus conſecravi altare hoc in honorem
„ ſanctorum martyrum Johannis & Pauli, & reli-
„ quias ſanctorum martyrum Evagrii & Quintillæ
„ in eo incluſi, & ſingulis Chriſti-fidelibus hodie
„ unum annum, & in die anniverſario conſecra-
„ tionis hujusmodi ipſum viſitantibus centum dies
„ de vera indulgentia in forma eccleſiæ conſueta
„ conceſſi]; quam capſulam vitta coccinea alli-
„ gatam, & ſuo ſigillo in cera hiſpanica impreſſo
„ munitam idem eminentiſſimus archiepiſcopus
„ in medio lapide altaris majoris prædicti tumu-
„ lavit.

„ In altari ſanctiſſimi Roſarii, quod eſt in
„ capella ad cornu euangelii altaris majoris præ-
„ dicti vidi eundem eminentiſſimum archiepiſco-
„ pum adponentem capſulam plumbeam antiquam
„ jam benedictam quadratæ formæ tum latitudinis
„ tum longitudinis digitorum quinque, in qua
„ erant reliquiæ ſanctorum martyrum Clari & Caſ-
„ ſiæ, tria grana thuris cum charta de pergameno
„ tenoris ſequentis: [M DC LXXXIX. die XXVIII. men-
„ ſis Maii, ego frater Vincentius Maria ordinis
„ Prædicatorum miſeratione divina tituli ſancti

„ Sixti ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter Cardi-
„ nalis Urſinus, ſanctæ Beneventanæ eccleſiæ ar-
„ chiepiſcopus conſecravi altare hoc in honorem
„ beatæ Mariæ Virginis ſub invocatione ſanctiſ-
„ ſimi Roſarii, & reliquias ſanctorum martyrum
„ Clari & Caſſiæ in eo incluſi, & ſingulis Chriſti-
„ fidelibus hodie unum annum, & in die anniver-
„ ſario conſecrationis hujusmodi ipſum viſitanti-
„ bus centum dies de vera indulgentia in forma
„ eccleſiæ conſueta conceſſi]; quam capſulam
„ vitta coccinea alligatam, & ſuo ſigillo in cera
„ hiſpanica impreſſo munitam idem eminentiſſi-
„ mus archiepiſcopus in medio lapide ſupradicti
„ altaris ſanctiſſimi Roſarii tumulavit.

„ In altari ſancti Saturnini, quod eſt in ca-
„ pella in ima eccleſia e regione ſupradicti altaris
„ ſanctiſſimi Roſarii vidi eundem eminentiſſimum
„ archiepiſcopum adponentem novam capſulam
„ plumbeam heſterno die a ſe benedictam digitos
„ quinque latam & totidem longam, in qua erant
„ reliquiæ ſanctorum martyrum Saturnini & Ve-
„ nerandi, tria grana thuris, & chartulam de per-
„ gameno tenoris, qui ſequitur: [M DC LXXXIX.
„ die XXVIII. menſis Maii, ego frater Vincentius
„ Maria ordinis Prædicatorum miſeratione divina
„ tituli ſancti Sixti ſanctæ Romanæ eccleſiæ pres-
„ byter Cardinalis Urſinus, ſanctæ Beneventanæ
„ eccleſiæ archiepiſcopus conſecravi altare hoc in
hono-

„ honorem ſancti Saturnini, & reliquias ſanctorum
„ martyrum Saturnini ejuſdem, & Venerandi in
„ eo incluſi, & ſingulis Chriſti-fidelibus hodie
„ unum annum, & in die anniverſario conſecra-
„ tionis hujuſmodi ipſum viſitantibus centum dies
„ de vera indulgentia in forma eccleſiæ conſueta
„ conceſſi]; quam capſulam vitta coccinea alli-
„ gatam, & ſuo ſigillo in cera hiſpanica impreſſo
„ munitam idem eminentiſſimus archiepiſcopus
„ in medio lapide ſupradicti altaris ſancti Satur-
„ nini tumulavit.

„ In altari ſancti Thomæ Aquinatis, quod
„ eſt in capella in ima eccleſia ex altera parte
„ prope ſacriſtiam, vidi eundem eminentiſſimum
„ archiepiſcopum adponentem antiquam capſu-
„ lam plumbeam jam benedictam digitos quinque
„ latam & totidem longam continentem reliquias
„ ſanctorum martyrum Bonifacii, & ejuſdem Ve-
„ nerandi, de quo ſupra, tria grana thuris, &
„ chartulam de pergameno tenoris, qui ſequitur:
„ [MDCLXXXIX. die XXVIII. menſis Maii, ego fra-
„ ter Vincentius Maria ordinis Prædicatorum mi-
„ ſeratione divina tituli ſancti Sixti ſanctæ Ro-
„ manæ eccleſiæ presbyter Cardinalis Urſinus,
„ ſanctæ Beneventanæ eccleſiæ archiepiſcopus con-
„ ſecravi altare hoc in honorem ſancti Thomæ
„ Aquinatis confeſſoris atque eccleſiæ doctoris,
„ & reliquias ſanctorum martyrum Bonifacii &

„ Venerandi in eo inclusi, & singulis Christi-fide-
„ libus hodie unum annum, & in die anniversario
„ consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus cen-
„ tum dies de vera indulgentia in forma ecclesiæ
„ consueta concessi]; quam capsulam vitta cocci-
„ nea alligatam, & suo sigillo in cera hispanica
„ impresso munitam idem eminentissimus archie-
„ piscopus in medio lapide supradicti altaris san-
„ cti Thomæ Aquinatis tumulavit.

„ In altari sancti Dominici, quod est in
„ capella ad epistolæ cornu altaris majoris vidi
„ eundem eminentissimum archiepiscopum adpo-
„ nentem antiquam capsulam plumbeam jam
„ benedictam digitos quinque latam & totidem
„ longam, continentem reliquias sanctorum mar-
„ tyrum Saturnini ejusdem, de quo supra, & Fau-
„ stini, tria grana thuris, & chartulam de perga-
„ meno tenoris sequentis: [M DC XXXIX. die XXVIII.
„ mensis Maii, ego frater Vincentius Maria ordi-
„ nis Prædicatorum miseratione divina tituli san-
„ cti Sixti sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter Car-
„ dinalis Ursinus, sanctæ Beneventanæ ecclesiæ
„ archiepiscopus consecravi altare hoc in honorem
„ sancti patris mei Dominici confessoris, & reli-
„ quias sanctorum martyrum Saturnini & Faustini
„ in eo inclusi, & singulis Christi-fidelibus hodie
„ unum annum, & in die anniversario consecra-
„ tionis hujusmodi ipsum visitantibus centum dies
de

„ de vera indulgentia in forma ecclesiæ consueta
„ concessi]; quam capsulam vitta coccinea alli-
„ gatam & suo sigillo in cera hispanica impresso
„ munitam idem eminentissimus archiepiscopus
„ in medio lapide supradicti altaris sancti Domi-
„ nici tumulavit.
„ Quibus omnibus sic peractis &c.
„ Actum Romæ in supradicta ecclesia san-
„ ctorum Johannis & Pauli Sabbato vigilia sacra-
„ tissimæ Pentecostes, die vicesimaoctava mensis
„ Maii anno millesimo sexcentesimo octogesimo-
„ nono, Pontificatus sanctissimi Domini nostri
„ Innocentii Papæ XI. decimotertio, præsentibus
„ illustri & admodum reverendo domino Johanne
„ Antonio Chiappetti canonico diœcesis Tauri-
„ nensis, & venerabilibus presbyteris Thoma
„ Chiaresio Neapolitano, & Josepho Rota Ber-
„ gomensi testibus ad supradicta omnia rogatis,
„ specialiter habitis atque vocatis.
„ Et in fidem &c. hic me subscripsi, & proprio
„ signo signavi rogatus & requisirus.

Locus ✠ sigilli.

Ego Pompeius abbas Sarnellius
protonotarius apostolicus.

Totius

Totius consecrationis memoria in marmore insculpta legitur contra illam cardinalis Carrafæ, cujus hæ sunt notæ:

Quinque altaria hujus ecclesiæ
Sanctorum Johannis & Pauli
Anno M D XXCIIX.
Ab archiepiscopo Montis-regalis sacrata,
Deinde ab eminentissimo cardinale de Norfolcia
Ex ordine Prædicatorum,
Qui ecclesiam ipsam basilice instauravit
E priori situ amota
Frater Vincentius Maria
Ordinis Prædicatorum
Sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis
Ex eorundem sanctorum Martyrum
Ursino genere procreatus,
Sanctæ Beneventanæ ecclesiæ archiepiscopus
Sollemni ritu dicavit
Die XXVIII. *mensis Maii*
M DC LXXXIX.

CA-

CAPUT XII.

Restaurationes basilicæ sanctorum Johannis & Pauli, eique elargita munera, necnon indulgentiæ, quibus donata est, adnotantur.

I. EPERITUR in ecclesiasticis tabulis antiquior sanctorum Johannis & Pauli basilicæ restauratio Symmacho Pontifice, qui anno duodequingentesimo Romanæ ecclesiæ præfuit, cujus testis est Anastasius in ejus vita his verbis: „ Ad beatos Johannem & Paulum fecit „ gradus post absidam. Quinam autem hi gradus fuerint lis est inter auctores. Putant enim nonnulli, & sibi Ugonium vendicant asserentem, basilicæ faciem olim inversam ante Anastasii scriptoris ætatem, & in loco ubi hodie tribuna erigitur, fuisse; ideoque Symmachum Pontificem sacram ædem ascendentium commodo „ gradus fecisse post absi„ dam. Verum tamen Ugonium intelligendum arbitror, dum scripsit portam e dextro latere aræ maximæ in una ex minoribus navibus antiquitus con-

constitisse, ad ipsamque ex clivo Scauri, ubi sancti Gregorii ædes sita est, per collem ascendisse videri, intelligendum, inquam, de alia, præter majorem in facie basilicæ, olim reclusa, de illa scilicet parvula, quæ adhuc exstat in capite navis ad lævam ingredientium basilicam post altare Deiparæ sacrum, quam de Rosario vocant, quo ut e via publica ascenderetur, gradus post absidem & presbyterium aperto cœlo hactenus supersunt, etsi hodie longo temporis intervallo consumpti & labefactati; quos propterea Symmachus faciliori ad basilicam fidelium accessu instauravit. Post Symmachum Hadrianus I., qui anno a Christo nato septingentesimo septuagesimo secundo Pontifex fuit, eandem insuper magnifice reparavit: „ Sed „ & in titulo Pammachii (inquit Anastasius in ejus vita) sanctorum Johannis & Pauli, quæ per „ elapsos marcuerant annos, omnia sarta tecta „ ejusdem tituli renovavit.

II. Leo III., qui anno septingentesimo nonagesimoquinto in Pontificali cathedra sedit, etsi reparationis non reliquerit monumentum, tamen basilicam ter muneribus largissime cumulavit: „ Verum etiam (ait quoque Bibliothecarius) & in titulo Pammachii fecit vestes duas, „ ex quibus unam de stauraci cum periclysin de „ chrysoclavo, & aliam vestem de imizilo. Deinde paullo infra: „ Sed & in titulo Pammachii

„ chii fecit coronam ex argento pensantem libras
„ decem. Ulterius: „ Verum etiam & in titulo
„ Pammachii super altare sanctorum Johannis &
„ Pauli fecit vestem albam holosericam ornatam
„ in gyro de fundato habentem historiam Cruci-
„ fixi, Ascensionis, & Pentecostes. Item Gregorius IV., qui anno octingentesimo vicesimoseptimo Romanæ ecclesiæ regimen habuit, Leonis exemplum imitatus eandem basilicam sacris donis ditavit: „ Obtulit vero beatissimus Papa (scribit similiter Anastasius) in titulo Pammachii vestem de
„ stauraci cum periclysin de quadrapulo.

III. Verum non modo Pontifices basilicæ huic reparationibus, & munerum largitate profuerunt, sed insuper cardinalium plures, qui eam in titulum adepti sunt. Hos inter antiquior est Johannes Sutrinus Hadriano IV. Pontifice cardinalis clarissimæ Comitum familiæ gentilis, qui basilicæ porticum instauravit, ut super illam vetustis characteribus exsculpta carmina testantur:

Presbyter ecclesiæ Romanæ rite Johannes
Hæc animi voto dona vovenda dedit
Martyribus Christi Paulo pariterque Johanni,
Passio quos eadem contulit esse pares.

Necnon intra basilicam aram ædificavit, ut documentum suppeditat allata in superioribus inscriptio,

cujus opera a Viliano Pisano archiepiscopo eadem fuit consecrata.

IV. Latinum cardinalem Ursinum virtutum omnium ornamento commendatissimum, sedente Nicolao V., basilicæ titularem, illam Jesuatis fratribus ipso postulante jam traditam aliqua ex parte reparavisse opinio est: hanc adjuvat marmorea tabula olim in priori cœnobii peristilio a Jesuatis erecta, teste Johanne Antonio Brutio sanctæ Dorotheæ parocho in suo codice MS. de Urbis ecclesiis ex archivo Vaticano deprompto; eamque plurimum augent ejus gentis insignia in eadem basilica dextrorsum in pariete mediæ navis super columnas depicta, quorum hodie, dealbato pariete, tantum vestigia supersunt. His proxima accedunt alia Petri Schovumbergi cardinalis, Latini, ut arbitror, in titulo decessoris: necnon alia inferius nimia parietis albedine deleta, nisi Philiberti Ugoneti Latini in titulo successoris esse divinemus; quos omnes basilicæ reparatores aut largitores fuisse credibile satis videtur.

V. Elapso deinde plurium annorum decursu Willelmus cardinalis Enkenvoirtius Flandricus ab Hadriano VI. unice inter cardinales titulo sanctorum Johannis & Pauli adscriptus porticum & basilicæ faciem sarcivit ornavitque, ut indicat ejusdem familiæ stemma sub illo Hadriani Pontificis in ipsa basilicæ facie suppositum. Hunc sequitur Antonius

Car-

Carrafa Neapolitanus a beato Pio V. in ordinem cardinalium cooptatus, qui multiplici ornamento, lapidibus, & picturis absidem & presbyterium illustravit, sicut ibidem hæc verba in coronide absidis aureo ornatu expressa testantur:

Antonius Carrafa
Sanctæ Romanæ ecclesiæ
Presbyter cardinalis,
Quum hujus ecclesiæ titulum obtineret,
Eam exornandam
Curavit
Anno Domini
M D L X X X V I I.

Nicolaus Pellevius ab eodem Pontifice Pio V. Romana purpura cum hoc titulo decoratus basilicæ admodum profecit, eamque pluribus in locis fatiscentem restituit. Porticum jam longa ætate ferme collapsam nobiliori structura refecit, ut ejusdem insignia ibidem imposita significant: chorum deinde sive odeum in primo basilicæ ingressu super januam elatum columnis suffultum exstruxit, cujus testis est Ugonius auctor æqualis: duo altaria, quæ olim in media basilicæ nave exstabant vario lapidum genere & columnis instructa condidit, necnon tecta & muros sarcivit, & pavimentum annorum tractu corruptum instravit.

VI. Succedit Augustinus Cusanus Mediolanensis magni vir nominis hujus quoque tituli cardinalis, qui admirabili munificentiæ exemplo novum basilicæ laqueare superinduxit affabre eleganti que opera fabricatum, & optima cælatura confectum. Camillus Burghesius cardinalis olim inter basilicæ titulares adscitus, deinde in Pontificatu immortalis memoriæ Paulus V. eandem reparavisse docent ejus familiæ insignia in aquæ lustralis fonte insculpta, quo nimirum ornavit basilicam. Quum autem Pontifex fuerit inauguratus, Jesuatis fratribus, apud quos basilicæ cura fuit, ut ejus cultui aptiores famularentur sacros assumere ordines indulsit, sicut in ingressu cœnobii adposita adhuc superstes monet pictura. Alexander Mediceus cum hoc titulo cardinalis, antequam ad Pontificatum Leonis XI. nomine eveheretur, basilicam sacra supellectile instruxit donavitque, ut in præfato suo MS. codice Brutius notavit, necnon, quæ supersunt cum ejus stemmate altarium pallia testantur.

VII. Franciscus cardinalis Barberinus Urbani VIII. Pontificis fratris filius, etsi titulum sanctorum Johannis & Pauli nunquam optaverit, tamen illi profecit, sicut plerisque Urbis ecclesiis, teste Oldoino apud Ciaconium in vita Urbani VIII., ibidemque sui monumentum reliquit. Ut enim sacræ antiquitatis amantissimus vetus marmor ibi proxime inventum, uti aptiorem in locum, intra basi-

basilicam transferendum curavit, idemque expolivit, cujus documentum præfert gentilitium insigne superimpositum. Veteris tabulæ verba hæc sunt:

Constat nimirum dilectissimi fratres de permissione, quam ex corde fecimus coram Deo & Sanctis ejus, ut unusquisque nostrum, fratres sacerdotes, & posteri nostri sacerdotes in perpetuum, qualiscunque ex hac luce migraverit quadraginta missas pro ejus anima per unumquemque sacerdotem, qui superstites sint, canere promisimus; si tamen infirmitate fuerit occupatus, non reputetur ei in peccatum, & si receptus fuerit in pristinam sanitatem, omne quod supradictum est adimpleat: qui vero custos & observator fuerit habeat benedictionem Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus sancti, & cœleste regnum possideat cum omnibus Sanctis: qui & hoc non observaverit sit anathematis vinculo innodatus, & a regno Dei separatus.

]†[

Pro-

VIII. Proximo autem sæculo quum sanctorum Johannis & Pauli cœnobium, cardinale Hovardo enixe postulante, Anglis fratribus ordinis Prædicatorum traditum fuerit, idem ingentis animi cardinalis in sanctos Martyres obsequio devotique animi argumento, & in Anglos suos fratres dilectione permotus, veterem basilicæ formam destruxit, atque in hodiernam ac ampliorem redegit. Altaria e veteri situ amovit, & ornavit, marmoreum septum in medio basilicæ positum,non sine aliquo licet ecclesiasticæ antiquitatis detrimento diruit, aram maximam, translatis sanctorum Martyrum corporibus, ædificavit, chorum supra januam elegantiori opera perfecit, totamque basilicam luculentissime perpolivit.

IX. Paucis mox ab hinc annis Fabricius Paulutius hujus tituli Cardinalis princeps integerrimus, omnique virtutum genere cumulatissimus tot illustrium virorum exempla sequutus basilicæ sanctiori cultui consulens, primum ferreis cancellis pernobili structura & ingenti sumptu elaboratis eius porticum obseravit: deinde sacris indumentis ad rei divinæ obsequium admirabili largitate donavit, ejusdemque diuturno honori ac dignitati totum admovet animum; quamobrem majora in dies a tanto principe beneficia præstolatur. Verum licet Romani Pontifices, & cardinales adeo basilicæ ornamento & reparationi operam dederint, etiam pres-

presbyteri congregationis Missionis, qui ejus cultui famulantur, post adeptam ejus possessionem vacante titulo, eandem vetustate consumptam pluribus in locis maximo impendio instaurarunt, necnon pavimentum ante sanctorum Martyrum confessionem marmoribus instruxerunt.

X. Hactenus basilicæ reparationes, eique elargita munera innotescunt: sed inter illa spirituales thesauros, quibus admodum locuples est, adhuc silentio præterii, unde huc revocandos esse putavi. Præter antiquas stationis indulgentias, quibus basilica prima feria sexta quadragesimæ a sancto Pontifice Gregorio Magno donata fuit, nullas alias vetustiores inveni Alexandri IV. ætate, qui, ut ex inscriptione in superioribus vulgata proditum est, altare apostolorum basilicæ, quod olim fuit, consecravit, *& annis singulis ecclesiam ipsam accedentibus in assumptionis beatæ Mariæ die usque ad quindecim sequentes duodecim annos de vera indulgentia concessit*. Hinc post longam sæculorum intercapedinem Sixtus V. Pontifex die sancto Josepho sacra, uti consecrationis altarium sub Antonio Carrafa cardinale monumentum docet, *quotannis visitantibus unum ex basilicæ altaribus decem annos de vera indulgentia concessit*. Postmodum anno ultra millesimum sexcentesimo octogesimonono die duodetricesima Maii, quo Vincentius Maria Ursinus Cardinalis basi-

basilicæ altaria consecravit, singula quotannis anniversario consecrationis die visitantibus *centum dies de vera indulgentia in forma ecclesiæ consueta concessit*, sicut testatur superius traditum publicum consecrationis documentum.

XI. Diebus postremo vicesimasexta Junii sanctis martyribus Johanni & Paulo, & vicesimanona Novembris sancto Saturnino martyri sacris plenam peccatorum remissionem basilicam accedentibus Gregorium XIII. Pontificem concessisse docet ejusdem apostolicum diploma, quod hic exhibemus:

GREGORIUS PP. XIII.

Universis Christi-fidelibus præsentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem.

„ DE salute gregis Dominici curæ nostræ
„ divina dispositione commissi, prout no-
„ stro pastorali incumbit officio, sollicite cogitan-
„ tes, singulos ejusdem gregis fideles ad sanctissima
„ Dei templa, quæ domus orationis exsistunt, fre-
„ quenter visitanda, indulgentiarum muneribus
„ & peccatorum remissionibus libenter invitamus,
„ ut exinde, suorum abolita macula delictorum, sa-
„ lutis æternæ præmia facilius consequi mereantur.

Cu-

„ Cupientes itaque ut *ecclesia monasteriii sancto-*
„ *rum Johannis & Pauli de Urbe* fratrum Jesuatorum debitis frequentetur honoribus & devotius visitetur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi-fidelibus vere pœnitentibus, ac sacra communione refectis, qui *dictam ecclesiam in eorundem sanctorum Johannis & Pauli, ac sancti Saturnini* festivitatum diebus a primis vesperis usque ad occasum solis eorundem dierum singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, sanctæque matris ecclesiæ tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id fecerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem in Domino concedimus & elargimur; præsentibus perpetuo valituris. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XX. Junii MDLXXXI., Pontificatus nostri anno decimo.

Huc facit in calce hujus capitis illud quod Panvinius memorat in opusculo de septem Urbis ecclesiis de basilica Vaticana, nimirum Nicolaum IV. Pontificem Vaticanam basilicam die sanctis Martyribus Johanni & Paulo sacra adeuntibus quadraginta dierum indulgentiam largitum fuisse.

CAPUT XIII.

De Sanctorum reliquiis, quæ in basilica sanctorum Johannis & Pauli servantur.

I. Orpora sanctorum Martyrum Johannis & Pauli, eorumque alterutrius caput in hac basilica requiescere nemo inficias ibit qui hactenus legit. Restat ut de aliis Cœlitum reliquiis, quæ ibidem religiose coluntur, aliquid delibemus. Harum ex parte catalogus exstat in antiqua lignea tabula, cui fidem augent, præter longam plurium sæculorum traditionem, vetusta basilicæ monumenta, eaque super lustralis aquæ fontem coram omnibus ob oculos ponitur. Ibi hæc leguntur:

In ista sacratissima basilica sunt infrascripta corpora Sanctorum, videlicet sub altari majori sunt corpora sanctorum martyrum Scillitanorum, quorum nomina hæc sunt, videlicet Speratus, Cythinus, Felix, Letarius, Nartalus, Betu-

Beturius, Aquilinus, Januarius, Generosa, Bessia sive Bestina, Donata, & Secunda.

Ad lævam insuper basilicæ ingressus alia pendet æque vetus lignea tabula, cujus hæ sunt notæ:

Sub altari sancti Saturnini
Est corpus ipsius sancti Saturnini
Martyris.

II. Omissis itaque sanctorum Johannis & Pauli reliquiis, de quibus satis verba fecimus, quod attinet ad sanctos martyres Scillitanos, ex Scillitana apud Afros insula ita appellantur, iique, teste Cardinale Baronio in notationibus martyrologio ad diem decimamseptimam Julii, Carthagine, ubi gladio cæsi jussu Saturnini præfecti martyrium consummaverunt, a Ludovico Caroli Magni nepote Romam advecti sunt. Verum Sperati martyris reliquiæ, ut tradit Romanum martyrologium ad eandem diem, qua Romana ecclesia eorum colit memoriam, in Gallias asportatæ fuerunt, ceterorum autem Romam delatæ in titulo Pammachii reconditæ sunt, ubi eorum translationis veterem picturam ad suos usque dies illæsam permansisse Cardinalis Baronius in præfatis notationibus animadvertit, easque sub ara majori collocatas

 esse,

esse, præter ligneæ tabulæ fidem, Ugonius affirmat. Lectiones una cum oratione pro eorum officio a Missionis presbyteris, qui in basilica sacris vacant, recitandas sacra Rituum congregatio nuper concessit.

III. Quoad sancti Saturnini corpus, cujus natalem diem una cum illo sancti martyris Sisinnii undetricesima Novembris celebramus, qua nimirum Maximiano Imperatore, Laodicio præfecto via Nomentana secundo ab Urbe lapide post plurima tormentorum genera capite truncati mortem pro Christo subierunt, in hac sanctorum Johannis & Pauli basilica repositum esse, in notationibus quoque martyrologio ad ipsam diem idem Cardinalis Baronius testatur. Horum memoria celebris erat via Salaria, quam incendio absumptam Felicem IV. Romanum Pontificem restituisse ferunt scriptores, & hujus hactenus nomen, necnon vestigia supersunt. Ibi eorum corpora, postquam martyrium consummaverunt, Thrason cum Johanne presbytero dedit sepulcro, ibique diu requieverunt, donec Romam asportata, illud sancti Saturnini in titulo Pammachii, alterum sancti Sisinnii in titulo Equitii condita fuerunt. Nonnulli tamen putant sancti Saturnini corporis partem in eodem Equitii titulo servari: at si de insigniori parte auctorum opinio intelligenda est, id sane ab errore occupati, vel a nominis similitudine decepti scripsere:

psere: palam quippe est apud omnes sacrum ejus corpus cardinalis Hovardi opera translatum fuisse, dum basilicam instaurabat; idemque, ut ab oculato teste accepi, integrum prope repertum, in novum sacellum prope januam asportatum, atque in veteri urna porphyretica optime elaborata fuisse depositum: quamobrem ad veritatem horum auctorum tuendam dicendum videtur in titulo Equitii aliquam corporis ejus particulam e basilica sanctorum Johannis & Pauli desumptam conditam esse. Una cum sacro corpore ante translationem partem securis, qua fortissimus martyr capite plexus fuit, repositam esse Franciscus del Sodo in suo codice MS. de ecclesiis Urbis observat. Ejus quoque lectiones pro annuo officio a Missionis presbyteris recitandas superiori anno sacra Rituum congregatio probavit. Sub eodem altari Vincentius Maria Ursinus Cardinalis nonnisi honorifice nominandus, quum illud consecraret, alias sancti martyris Saturnini e corpore prius sublatas, necnon alterius martyris Venerandi reliquias deposuit. Sub ara majori reliquias condidit sanctorum Evagrii & Quintillæ; sub illa Deiparæ Virginis, quæ a Rosario dicitur, alias sanctorum martyrum Clari & Cassiæ; sub illa sancto Josepho sacra, olim sancto Dominico, alias ejusdem sancti martyris, necnon sancti Faustini; & sub illa demum sancti Thomæ Aquinatis alias sancti Venerandi, necnon sancti

cti Bonifacii martyrum; idque documenta ſuperius tradita ſatis declarant.

IV. Ugonius in ſæpecitato libro de ſtationibus Urbis quum de reliquiis, quæ in hac coluntur baſilica, ſermonem faceret, aliarum profert catalogum, quas inter ſancti Stephani I. Papæ, ſancti Silveſtri, ſanctorum Chryſanti & Dariæ, omniumque ferme apoſtolorum enumerat, easque fortaſſis notas habuit ab veteri altaris ſancti Nicolai conſecrationis inſcriptione, quod, uti memini, archiepiſcopus Piſanus conſecravit; ibique horum omnium Cœlitum ſacra pignora, iis etiam ſancti epiſcopi Nicolai ſuperadditis, ſub illo condita eſſe memorantur.

V. Præterea inter nobiliores baſilicæ reliquias vetus lapis adſcribitur in pavimento medianæ navis poſitus, ac crate ferrea munitus, ſuper quo capite obtruncatos fuiſſe ſanctos Martyres Johannem & Paulum firma eſt ſcriptorum opinio. Poſtremo ſanctorum martyrum Criſpi presbyteri, Criſpini ſeu Criſpiniani clerici, & Benedictæ corpora ab Johanne & Pigmenio presbyteris, & Flaviano Urbis expræfecto ibidem terræ mandata fuiſſe ſuperius expoſita ſanctorum Johannis & Pauli acta ſignificant. Hi enim ſanctorum Fratrum corporum ſepulcri locum exploraverant, & Chriſtianis in Urbe prodiderant, ob idque martyrium Juliano imperante paſſi ſunt. Ibi etiam tumulata fuiſſe

Te-

Terentiani martyris, ejusque filii corpora opera similiter Johannis & Pigmenii presbyterorum eadem acta demoſtrant. De corpore item ſancti Pammachii baſilicæ fundatoris hic collocato traditio eſt apud rerum Urbis auctores, qui ſane ab antiquioribus hanc traditionem didicerunt. Alia inſuper plurium martyrum pignora in hac baſilica ſua ætate recondita fuiſſe Franciſcus del Sodo in laudato codice notavit; ſcilicet:

De veſte Chriſti Domini.

De ejus ſepulcro.

De reliquiis ſanctorum Matthæi, Sebaſtiani, Pellegrini, Secundi, Zephyrini, Alexandri, Mamiliani, & Conſtantini; necnon:

De capite ſanctæ Beatricis.

De ejusdem brachio.

De reliquiis ſanctarum Alexandræ, Praxedis, Luciæ, Julianæ, Balbinæ, aliarumque, quarum nomina e vetuſtis baſilicæ monumentis præfatus auctor eduxit.

CAPUT XIV.

Præſens forma baſilicæ ſanctorum Johannis & Pauli, ejusque antiqua monumenta deſcribuntur.

I. HUJUS baſilicæ vetera poſtulant monumenta, ut ejus partes ſingillatim ac hiſtorice deſcribendas aggrediar, unde nonnulla ſacræ antiquitatis inſtituta & mores ad commune documentum e tenebris eruantur. Tota itaque baſilicæ moles ad orientem proſpectum habet, quem hic in ærea tabula inciſum exhibeo, & ſaluberrimo fruitur cœlo. Frontem rudi opere exſtructam præfert, cujus in altiori loco Hadriani VI. Pontificis gentilitium inſigne ſublatum eſt cum epigraphe:

Hadriano VI. Pont. Max.
Anno ſalutis M D XXII.

& ſubinde Willelmi cardinalis Enkenvoirtii ex marmore ſtemma ſubiectum. Porticu ornatur antiqua atque eleganti, hodie vero ob nova ſacella

reis com-
auctoris
ɔus deco-
ɔlumnis,
e parieti-
terclusæ:
superius



es
lit.
Johanni,
s.

ntilitium
to opere
gia, quæ
erigitur,

rcumor-
cante.
narmore
ex parte
nguibus
n potius
m humi
nim in-
etus au-
tem



TAB. I. PROSPECTVS BASILICÆ SS. IOHANNIS ET PAVLI pag. 152.

Alex Specchi delin. et incid.

cella hinc inde ædificata minus ampla, ferreis communita cancellis, qui munificentissimi auctoris Fabricii Paulutii Cardinalis æneis insignibus decorantur. Octo fulcitur pretiosi marmoris columnis, quarum tantum quatuor apparent, ceteræ parietibus ad nova sacella utrinque instaurata interclusæ. Porticus epistylio vetera leguntur carmina superius exscripta:

Presbyter ecclesiæ Romanæ rite Johannes
Hæc animi voto dona vovenda dedit.
Martyribus Christi Paulo pariterque Johanni,
Passio quos eadem contulit esse pares.

Hinc eminet Nicolai Pellevii cardinalis gentilitium insigne. Ad lævam ingentis molis vetusto opere exstructa, ac super antiqui ædificii vestigia, quæ curiæ Hostiliæ feruntur, campanaria turris erigitur, quæ basilicæ nonnihil est ornamento.

II. Una succedit janua marmore circumornata, musivi operis linea hinc inde intersecante. Ex utroque imo latere leones duo item e marmore subsunt hodie temporis diuturnitate aliqua ex parte deformati: quorum alter anterioribus unguibus aprum arreptum tenet, alter vero, quem potius leænam dixerim, excipit inter ungues puerum humi sedentem, ac secum veluti jocantem; puer enim inferiorem belluæ mandibulam palpatur. Vetus au-

tem nedum Christianorum, verum etiam Ethnicorum fuit consuetudo sacrarum ædium januis marmoreos admovendi leones, ut ecclesiæ ministrorum ac præsulum indicaretur custodia & vigilantia: leones nanque solent, ut rerum naturalium ferunt scriptores, apertis oculis somnum capere, unde cecinit vir celebris literaturæ Andreas Alciatus in suis emblematibus emblemate quinto:

Est leo, sed custos, oculis quia dormit apertis;
Templorum idcirco ponitur ante fores.

Quo ad Ethnicos exemplum est antiquum ac toto orbe clarissimum Agrippæ Pantheon, hodie sanctæ Mariæ ad martyres templum, ante quod in area, teste Ugonio, duo magnæ molis leones e numidico marmore cum hieroglyphicis notis olim adstabant. Quo ad Christianorum consuetudinem exemplum suppeditat sancti Laurentii in agro Verano basilica, sancti Sabæ, sanctorum duodecim Apostolorum, aliæque Urbis basilicæ: quamobrem huc facit sancti archiepiscopi & cardinalis Caroli Borromæi monitum in concilio provinciali quarto in instructionibus de fabrica ecclesiæ editum: *Ubi ostium* (ait) *sculptura leonum ornari debet exemplo templi Salomonis, qui in basibus illos sculpi jussit, ut præsulum indicaret vigilantiam*. Præterea notat diffusæ eruditionis scriptor Nicolaus Caus-


Caussinus in suis observationibus ad Hori Apollinis hieroglyphica in thronis, fontibus, & sepulcris adponendi leones nec Ægyptiis tantum, sed etiam Judæis usum communem fuisse.

III. Quid vero aliud leæna cum puero jocans innuere possit non video, nisi, ut putat Johannes Ciampinus in tomo primo veterum monimentorum capite tertio, mansuetudinem, quam habere debet ecclesia erga fidei tyrones, quos *neophytos* vocat sanctus Augustinus sermone primo in octava Paschæ: leo nanque in supplices clemens est, ac parcit prostratis, ut scribit Plinius in libro octavo capite decimosexto. Quid autem aper unguibus comprehensus, ac forte dilacerandus significet, dixerim leonis typo (Ciampini item opinioni suffragando) venire episcopum, sive alium ecclesiæ rectorem, qui juxta doctrinam apostolorum principis in epistola prima capite quinto, sobrii esse debent ac vigilantes, adeo ut fideles a via Domini aberrantes ad semitam veritatis redire cogant, nolentesque ac interdum in propriam matrem surgentes, unguibus dentibusque, censuris videlicet aliisque ecclesiasticis pœnis dilacerent.

IV. Quod adhuc de leonibus scripsi, idem de aquila interpretandum putaverim, quæ in epistylio januæ expansis alis leunculum vel aliud animal (quod non satis dignoscitur præ vetustate corruptum) unguibus complectens tollitur, quamque

Johannis Sutrini ex Comitum familia cardinalis stemma nonnulli perperam credunt: hæc volucrum regina dicitur, fulmen despicere, solemque constanti acie intueri. Quamobrem antiqui fideles ejusmodi hieroglyphico fortasse animis ingerere contenderunt (quod auguratur Ciampinus) ut sacram ædem ingredientes, tanquam aquilæ mentem ad Deum, solemque justitiæ Christum erigerent, ac victoriam de teterrimo humani generis hoste referrent; idque clarius argueretur, si serpentem unguibus arriperet: porro si est leunculus, ut sibi suadere videtur Ciampinus, etiam dæmonem indicat, juxta illud sancti Petri in epistola prima capite quinto: *Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*. De his veterum hieroglyphicis ecclesiarum januis adponi solitis latissime disserit idem Ciampinus loco superius laudato, ubi leones & aquilam ære expressos habet, aliaque prisca basilicarum hieroglyphica profert.


V. Basilica, cujus ichnographicam tabulam hic exhibemus, satis ampla est, & trium navium antiquum morem præsefert: longitudo enim, ut Vaticani codicis auctor Brutius exploratum habuit, palmorum est viginti ultra ducentos, latitudo vero octo ac viginti ultra centum. Vigintiquatuor utrinque innixa est columnis ex africano marmore, & ordinis corinthii, e quibus viginti tantum patent, quum quatuor in pilis lateant, quæ laterales sustinent



cum
acu-
um,
imu-

lata
cum

eum
inalis
nento
n mi-
um.
exſta-
altera
cor-
piſco-
archi-
levius
us ad
ila ad
mar-
mor,



ICHNOGRAPHIA BASILICÆ SS. IOHANNIS ET PAVLI

TAB. II. *Alex. Specchi delin. et incid.* pag. 158.

nent parietes, quibus fornices duo incumbunt cum erismis ad austrum, quo parietes inclinant. Lacunar habet ex cupressu ligneum eleganter cælatum, cujus in medio sanctorum Johannis & Pauli simulacra exsculpta sunt cum epigraphe:

VERE GERMANI.

In summa & in ima parte in ligno item cælata cardinalis Cusani familiæ insignia spectantur cum notis:

Augustinus cardinalis Cusanus
Anno M D XCVIII.

Super ostium in ingressu odeum adstat ligneum marmoreis columnis suffultum, quod cardinalis Hovardus exstruxit, & vario colorum ornamento illustravit. Pavimentum partim rude, partim miræ est elegantiæ & opere tessellato elaboratum. Præfato sub odeo utraque ex parte aræ duæ exstabant (quarum adhuc superstes est signum) altera sancto Saturnino martyri sacra, sub qua ejus corpus quievit, altera sancto Nicolao Myrensi episcopo, quam sæpememoratus Vilianus Pisanus archiepiscopus consecravit, easque cardinalis Pellevius ornaverat, ac postremo cardinalis Hovardus ad amplitudinem basilicæ destruxit. In priori pila ad lævam vetus illud supra exscriptum legitur marmor,

mor, quod ſicut prænotavi, Franciſcus Barberinus cardinalis tranſtulit, & ſuæ gentis inſignibus decoravit. Prope medium humi monſtratur lapis, qui crate ferrea tegitur, ſuper quo, ut traditum eſt, ſancti Fratres Johannes & Paulus capite plexi fuerunt.

VI. Hinc inde in baſilicæ medio altaria duo olim erant prioribus pilis proxima, quorum pictæ tabulæ ſanctorum Fratrum triumphale martyrium exhibebant: hæc cardinalis Pellevius multiplici cultu inſtruxit, & optimo marmore ornavit. Sub altero ad dexteram, cujus tabulam pinxit Raphael Regienſis corpora eorundem ſanctorum Martyrum requieverunt: ſub altero ad lævam, cujus tabulam pinxit Paris Romanus, caput alterutius ſervabatur. Verum illa, ut ſupra monitum eſt, cardinalis Hovardus, quum baſilicam reparaverit, de medio ſuſtulit, & ſacra corpora cum capite ad aram majorem aſportavit. Parum ultra antiqua legitur in pavimento ſepulcralis inſcriptio, quæ, ut notat Bernardus Montfauconius a nobis alibi laudatus in ſuo diario Italico capite decimo, nonum circiter ſæculum ſapit, & ævi barbariem olet:

Hocce puellæ jacet tumulo corpus Eliſabeth,
Quod manet in ſancta aula nunc Battiſtæ Johannis.
Ildibrandus ejus genitor, Theodoraque mamma
Orta

Orta puella, ideo fuit ardua fuit ſtemmate Romæ:
Bis annos habuit ſenis & menſibus decem
Ducta Johannes *veſtra* Pauleque *jure ſub alma,*
Pro qua vos Dominum dᵉpoſcite martyres almi,
Et ſibi det requiem ſanctam poſt funere ſemper,
Hoc ſi quis tumulum violaverit, at neque parvum
Subjaceat nexum, dum in orbem anathema
Dep. v. *kal. Sept. ind.* v.

VII. Olim poſt hoc marmor in loco pavimenti, quod magnis lapidibus ſternitur, ſeptum marmoreum fuit *Schola cantorum* ab antiquis nuncupatum, ei prope ſimile, quod adhuc integrum ſupereſt in baſilica ſancti Clementis, & quod in libro, quem ſuper illam vulgavi, capite nono deſcripſi, ejusque & aliorum, quæ hic prætereo, apud veteres uſum explicavi. Hoc idem cardinalis Hovardus ſolo æquavit ad laxiorem baſilicæ amplitudinem, quod Ugonii etiam ætate carebat ambonibus. Ejus adhuc exſtant fragmenta, quæ pauca præferunt antiquitatis veſtigia. Ex poſterioribus, quæ ſequuntur, pilis dexteræ vetus hæret lapidea tabula, ubi ſancti Gregorii Magni diploma exſculptum eſt, quæ olim in porticu, mox in ſacrario fuit: & ſiniſtræ alia item lapidea, quæ fundorum eſt catalogus ac prædiorum, quibus olim monaſterium fruebatur.

batur. Accedunt utrinque posita consecrationum altarium monumenta, quæ superius exscripsi. Succedit ara major ex viridi laconico marmore veteri exstructa more, ciborio, quod columnis ex albo marmore incumbit, ornata, in qua sanctorum Martyrum Johannis & Pauli veneranda corpora requiescunt. Ad illam per gradus ascenditur, ut in aliis perantiquis Romæ basilicis, ibique olim marmorei aut ferrei, ut priscorum consuetudo invaluit, cancelli fuerunt. Confessio ante visitur, sive martyrum sepulcrum, quod crate ex orichalco sanctorum Fratrum cælata imagine clauditur, optimo ac multiplici ornatum marmore, ubi martyrum Scillitanorum, aliorumque corpora deposita sunt. Antiquissimam Sanctorum corpora sub altaribus collocandi consuetudinem ex apostolica traditione profluxisse colligunt auctorum aliqui ex illo Apocalypsis: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant*. Verum quum a Felice I. Romano Pontifice, teste Anastasio, super memorias martyrum missas celebrari statutum fuisset, uti etiam monet ejusdem Felicis decretalis epistola ad episcopos Galliæ in tomo primo conciliorum collectionis Labbeanæ vulgata, ac propterea, Ethnicorum persequutione furente, missæ super martyrum sepulcra in cœmeteriis & cryptis celebrarentur, pace deinde ecclesiæ parta, templis amplissimis undique exstru-

ctis,

ctis, in eaque sanctorum martyrum translatis corporibus, ut Felicis decretum commodius implerentur, eadem corpora sub altaribus collocabantur, & exinde passim in Romana ecclesia communem evasisse morem putavi.

VIII. Post confessionis ostiolum introrsum sphæricum quoddam foramen est, quod marmore tegitur, & per illud *brandea* apud antiquos fideles demitti solebant. *Brandea* prisci vocarunt, interprete sancto Gregorio in epistola tricesima libri tertii, & in epistola quadragesimaquarta libri quarti epistolarum, velamina, quæ Christiani martyrum exuviis, loculis, ac mausoleis applicare consueverant, ut ex eorum contactu specie quadam sanctitatis, & patrandorum miraculorum facultate imbuta, illis sanctuaria & reliquiarum loco forent. Enimvero, ut observat Cardinalis Baronius in notationibus martyrologio ad diem decimamquintam Junii, quum vetus Romanæ ecclesiæ consuetudo non solum abhorreret integra Divorum corpora Roma exportari, sed ne tenues quidem eorum particulas ex ipsis detrahi, vel quod minus est, nec summis digitis eadem attrectari ullo modo pateretur, Christiani tamen suæ pietati qualitercunque satisfacturi omni studio satagere solebant, ut saltem per mystagogos, æditos, aliosque sacrarum favissarum custodes sibi copia fieret vestes, pallia, sudaria, & reliqua id genus velamina venerandis Cœli-

tum pignoribus admovendi; eaque, ut tradit Johannes Jacobus Chiffletius in crisi historica de linteis sepulcralibus Christi Domini capite vicesimoseptimo *brandea*, vel *sanctuaria* communi voce appellaverunt. Primum, quod sciam, qui religiosum hunc brandeorum usum vel induxit, vel maxima usurpavit, mihi fuisse compertum est sanctum Pontificem Leonem Magnum: „ Hic quoties rogabatur ab aliquibus (ait Sigebertus in chronici libro quinto ad annum quadringentesimum quadragesimumprimum) ut eis aliquorum apostolorum, vel martyrum reliquias daret, consuevit „ ad corpora, vel memorias apostolorum, vel „ martyrum, quorum reliquiæ petebantur, missas „ celebrare in ipsorum honore, & sic *brandeum* „ altaris, quo consecratum corpus Domini involverat, particulatim dividebat, & pro reliquiis „ apostolorum, vel martyrum dabat: unde si ab „ aliquibus dubitabatur cultello pannos illos pungens, sanguinem eliciebat; sic palam cunctis „ faciens, quod in consecratione mysteriorum sanguis Christi, apostolorum, vel martyrum, qui „ illo effusus est, intret per divinam virtutem in „ pannos illos, & ideo merito illos dari pro reliquiis Sanctorum, in quorum honore consecrati „ sunt. Hactenus Sigebertus. Item Gregorium Magnum prædecessorem suum Leonem in ejusmodi brandeorum usu recte imitatum fuisse scripsit

Jo-

Johannes Diaconus in ejus vita libro ſecundo capite quadrageſimoſecundo. Quis autem fuerit hujuſcemodi foraminis ſive feneſtrellæ uſus (utroque nomine vocitarunt ſcriptores) liquido conſtat; per illam enim manus a Chriſtianis immittebantur, ut non modo brandea Divorum admoverentur lipſanis, verum, ut teſtatur Beda in libro primo capite tertio eccleſiaſticæ hiſtoriæ gentis Anglorum, pulvis ex eorundem memoriis ſanctuariorum vice legeretur.

IX. Hinc poſt altare presbyterium ſequitur ligneis hodie ſedilibus circumornatum, cujus in medio epiſcopalis cathedræ, quæ olim fuit, veſtigium & locus ſpectatur. Pavimentum affabre teſſellato etiam ſive vermiculato opere inſtratum eſt. In ſummo abſis egregie coloribus illuſtratur; in ſuperiori enim parte Chriſtus Dominus innumera angelorum legione ſtipatus eminet, quem Nicolaus Pomarancius depinxit; inferius Divorum, Divarumque imagines inſcriptis nominibus coloribus quoque expreſſæ ſunt, quorum corpora in baſilica requieſcunt. Priorem locum obtinent ſancti Fratres Johannis & Paulus cum ſubjecta aureis notis epigraphe:

Eadem fides & paſſio
Vere fecit eſſe
Germanos.

Deinde ſanctus Saturninus, ſanctus Speratus, aliique martyres Scillitani, ac poſtremo ſanctus Pammachius monaſtica veſte indutus his ſuppoſitis verbis:

Sanctus Pammachius
Hujus eccleſiæ conditor.

Sequentes inde picturæ ſanctorum Fratrum Johannis & Pauli vitam exhibent, & præclara geſta, quibus inſignes fuere. Singulis inſcriptiones adpoſitæ ſunt, quæ tractu temporis labefactantur. Harum prior eſt.

1

Conſtantinus Conſtantiam filiam ſe in matrimonium daturum Gallicano Romani exercitus duci pollicetur, quum debellatis Scythis victor e Thracia redierit. Interea tanquam ſponſionis obſides dat ei Johannem Conſtantiæ domus præfectum, & Paulum primicerium.

2

Johannes & Paulus Gallicanum adverſus Scythas in Thraciam proficiſcentem ſequuntur.

Galli-

3

Gallicano obsidione Philippopoli presso, & fugam cogitanti suadent Johannes & Paulus ut voveat se Christianum futurum, cui, nuncupato voto, per visum sese ostendit procera statura juvenis crucem bajulans magna armatorum manu comitatus, Gallicanum ipsum adhortans, ut se stricto gladio sequeretur.

4

Juvenem crucis signum gerentem, & armatorum multitudinem sequutus Gallicanus, per medias hostium acies ad regem ipsum tuto penetrat, qui primo adspectu ad pedes Gallicani provolutus ultro se illi dedit.

5

Johannes & Paulus, quum a Juliano Apostata ad intimam familiaritatem invitarentur, libere familiaritatem ejus exsecrantur, qui Christi religio-

nem repudiarit: illis tamen Imperator decem ad deliberandum dies præstituit.

~ 6 ~

Interea Johannes & Paulus res omnes suas pauperibus largiuntur.

~ 7 ~

Juvenes vero fortissimi nullis unquam mortis minis abduci potuerunt, ut auream Jovis imaginem a Terentiano prætoriæ cohortis præfecto illis oblatam venerarentur.

~ 8 ~

In suis ædibus constantissimi Martyres obtruncantur.

~ 9 ~

Ne quod indignæ cædis vestigium appareret eodem loco, quo capita fuerunt abscissa, corpora involuta conduntur.

Mox

10

Mox dæmones ex obſeſſis corporibus erumpentes martyrium Sanctorum promulgant. At Terentiani filius & ipſe ab immundo ſpiritu correptus protinus ad Martyrum ſepulcrum confugit.

11

Terentianus pro filii ſalute deprecaturus ad Martyrum monumentum venerabundus accedit; exauditus Terentianus cum incolumi filio baptizatur.

Hæ pictis ſanctorum Martyrum actis inſcriptiones. Aurea hinc ſuper picturas in abſidis coronide alibi memorata epigraphes legitur:

Antonius Carrafa
Sanctæ Romanæ eccleſiæ
Presbyter cardinalis,
Quum hujus eccleſiæ titulum obtineret,
Eam exornandam curavit
Anno Domini M D LXXXVII.

Extra

Extra presbyterium ſuper majori tribunæ fornice pictura objicitur Virginem Dei matrem præſeferens, quam angelus in annunciatione ſalutat. Inferius gentilitia inſignia ſeſe offerunt præfati Antonii cardinalis Carrafæ, deinde ad dexteram ingredientium ſancti Petri apoſtoli, ad lævam ſancti Pauli accedunt imagines, quibus aliæ ſubjiciuntur ex uno latere ſancti Dominici, ex altero ſanctæ virginis Catharinæ Senenſis.

X. Ad minores deinde baſilicæ naves quod ſpectat, duo quæque navis habet altaria opera ac ſumptu cardinalis Hovardi columnis & lapidibus exſtructa, & ferreis cancellis obſerata. Illud ad dexteram aræ majoris prope abſidem Virgini Mariæ, quæ a Roſario dicitur, dicatum eſt: hoc prope parva eſt janua, unde olim Symmacho Pontifice per ſcalas, quarum adhuc veſtigia ſuperſunt, ad baſilicam erat acceſſus. Alterum ad lævam altare ſacrum eſt ſanctiſſimo patriarchæ Joſepho Virginis ſponſo. Illud e regione hujus poſitum baſilicæ oſtio proximum ſancto Thomæ Aquinati dicatur, alterum ex adverſo ſancto martyri Saturnino, cujus corpus in urna porphyretica requieſcit.

XI. Hæc totius baſilicæ deſcriptio, ejusque monumentorum, ubi hodie exigua ſacræ vetuſtatis rudera ſervantur. Lapidum fragmenta nonnulla proſtant in pavimento, ſed quia nullius dignitatis, prætereo. Quæ autem olim fuerunt inſcriptiones,

ac

ac veteri diruta basilica sublatæ, huc referendas duxi, ne earum penitus aboleretur memoria. Maphæus Veggius in libro primo de educatione puerorum capite quarto in hac basilica perelegans epigramma se legisse scribit marmoreo tumulo insculptum Gratiæ Alexandriæ Ethnicæ matronæ, quæ in Christianarum quarundam dedecus filios suos propriis uberibus educasse laudatur:

Gratiæ Alexandriæ,
Quæ etiam filios suos
Propriis uberibus educavit.
Pudens Aug. Lib. maritus.

Ugonius hæc quoque adfert carmina, quæ nonnihil sapiunt antiquitatis:

Antistes Domini excelsa sacra Christi
Vestibulum decorat gratia pulcra loci.
Quæ quia compta nitet, primaque in fronte renidet,
Ostendit quantum numinis intus inest.
Quis tantas Christo venerandas condidit ædes,
Si quæris, cultor Pammachius fidei.

Necnon Martinellus Anastasii cujusdam cardinalis subjicit epitaphium:

Hic requiescit in pace Anastasius
Presbyter sanctæ Romanæ ecclesiæ,
Qui vixit plurimos annos.

Ciaconius in vita Paschalis II. Theobaldi hujus tituli cardinalis tradit monumentum in hac basilica positum, cui hæc duo hærebant carmina:

Sedis apostolicæ Theobaldus presbyter implet;
Martyres usque sacris opus hoc assignat honori.

Postremo Dominicus Grimanus cardinalis ab Alexandro VI. Romana purpura ornatus post obitum hic temporarium sepulcrum habuit cum epigraphe:

Dominico Grimano episcopo Portuensi;
Cardinali sancti Marci,
Patriarchæ Aquilejensi
Inculpatissimæ vitæ,
Omnium scientiarum peritissimo;
Temporaneum depositum
Nepotes pientissimi posuerunt:
Vixit annos LXII. *menses* VI. *dies* VIII.
Obiit XXVII. *Augusti* MDXXIII.

CA-

CAPUT XV.

Elenchus chronologicus omnium ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, qui ſanctorum Johannis & Pauli titulum obtinuerunt.

I. 
MNIA, quæ in ſacris tabulis reperi de ſanctorum Johannis & Pauli baſilica, hucuſque in medium produxi monumenta: his modo præſtat adnectere Romanæ eccleſiæ cardinales, qui eam in titulum adepti ſunt, eorumque præclara geſta, obſervata temporis ſerie, publicis literis conſignare. Horum itaque antiquior eſt, cujus memoriam ferunt ſcriptores, Gordianus, qui ſynodo Romanæ, Symmacho apoſtolicam ſedem adminiſtrante, ſubſcripſit, & deinde perditorum hominum gladio occubuit.

Huic etiam concilio alter ejusdem tituli presbyter interfuit, ſcilicet Johannes, qui poſtmodum Hormisdæ Pontifici anno quingenteſimo viceſimotertio Johannis I. nomine ſuffectus eſt, & ſedit annos duos, menſes novem, & diex ſexdecim.

II. In concilio item Romano, quod Gregorius Magnus Pontifex celebravit, adfuerunt hujus

tituli cardinales Deusdedit, & Johannes, quorum primus ad Pontificatum evectus sedit annos tres, & dies undeviginti.

In altera synodo sub Gregorio III. Romæ habita inter patres suffragium tulit Georgius presbyter cardinalis tituli sanctorum Johannis & Pauli.

Necnon in alia, quum Zacharias vir sanctissimus Romanæ ecclesiæ Pontifex præesset, interfuit Gregorius hujus tituli cardinalis.

Johanne VIII. sedente, in concilio Romano suffragium dedit Germanus presbyter cardinalis tituli sanctorum Johannis & Pauli.

Petrus ejusdem tituli cardinalis, Johanne XII. Pontifice, concilio quoque Romano subscripsit anno nongentesimo sexagesimoquarto. Hic Johannem in synodo coram patribus accusavit, testatus se illum vidisse missam celebrare sine sumptione corporis Christi.

III. Theodoricus, quem Dietericum vocat Panvinius, natione Germanus presbyter cardinalis sanctorum Johannis & Pauli, Paschalis II. Pontificis in Germaniam & Hungariam legatus decreta contra Henricum Imperatorem edita, & anathema primus omnium promulgavit. Conventui Coloniensi interfuit, & omnibus ut apostolicæ sedis decreta susciperent, persuasit: in eadem legatione diem supremum obiit, & Coloniæ Agrippinæ sepultus est.

Theo-.

Theobaldus a Paſchale II. inter presbyteros cardinales titulo ſanctorum Johannis & Pauli cooptatus ſubſcripſit ſynodo Vaſtallenſi, & ſacramento firmavit juſſu Paſchalis privilegium ab Henrico Imperatore de inveſtituris eccleſiaſticis extortum, & in hac baſilica tumulum habuit.

Nicolaus ab eodem Paſchale titulo ſanctorum Johannis & Pauli cardinalis creatus adfuit, Baronio teſte ad annum ultra milleſimum centeſimum undeviceſimum, comitiis Pontificalibus pro creatione Gelaſii II. Romæ habitis, ubi ex Pandulpho Piſano nomina cardinalium, qui comitiis interfuere, recenſet; at illum auctorum nonnulli cum Theobaldo deceſſore confundunt.

IV. Albericus ſive Uldaricus pernobili Cyborum, ſeu ut alii putant, Tomacellorum familia prognatus ab Honorio II. hujus tituli cardinalis renunciatus, Honorii diplomata, quæ anno milleſimo centeſimo viceſimoſeptimo, & viceſimooctavo dedit, ſua ſubſcriptione firmavit.

Lucas natione Gallus in Claræ-vallis cœnobio educatus ſancto abbati Bernardo percharus ab Innocentio II. inter cardinales titulo ſanctorum Johannis & Pauli adſcitus eſt, & in Italiam cum Innocentio profectus. Piſis agens Attoni præſuli Piſtorienſi privilegium ab Innocentio conceſſum, aliaque ejusdem Pontificis diplomata ſubſcripſit.

Hu-

Hubaldus ſeu Humbaldus item ab Innocentio in quinta creatione inter cardinalium ordinem adlectus titulo ſanctorum Johannis & Pauli, literas, quas Abrahamo archipresbytero & canonicis Vercellenſibus Pontifex direxit, ſua manu firmavit. Cum Eugenio III. in Gallias conceſſit, & Cluniaci Eugenii diploma Gozevino Bonæ-vallis abbati ſubſcripſit, obiitque Eugenio adhuc Pontifice.

V. Johannes Sutrinus ex veteri & illuſtri Comitum familia ab Eugenio III. presbyter cardinalis titulo ſanctorum Johannis & Pauli creatus, Hadriani IV. Pontificis ad Fridericum Auguſtum legatus acceſſit, ut pacem inter Imperium & Romanam eccleſiam componeret. Alexandri III. partes ſequutus, ab eodem ad Orientales miſſus Amalricum Jeroſolymorum regem uxorem quarto gradu ſibi conjunctam dimittere coegit. Poſt ejus ad Urbem reditum, Urbis vicarium, & baſilicæ Vaticanæ archipresbyterum Pontifex Alexander renunciavit, quo ſedente e vivis exceſſit.

Raynerius Papienſis diaconus cardinalis ſancti Georgii in Velabro cum Ubaldo Oſtienſi epiſcopo Alexandri III. juſſu ad Imperatorem Fridericum in Lombardiam legati nomine adivit, ut fidem publicam pro Pontifice, ejusque curia ad ineundam cum eo concordiam acciperet, ac certum conventui locum præſcriberet. Interfuit conventui

ventui Veneto, & diploma ab Alexandro Opizoni ſanctæ Mariæ in Organo abbati datum ſubſcripſit. A Lucio III. ex diacono presbyter cardinalis ſanctorum Johannis & Pauli ordinatus, eo adhuc Pontificiam ſedem adminiſtrante, mortem oppetiit.

VI. Johannes hujus tituli cardinalis Alexandri III. literas, quas Oprando Mediolanenſis monaſterii ſancti Simpliciani abbati decimotertio kalendas Aprilis anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimooctavo conceſſit, ſua manu firmavit.

Melior Gallus a Lucio III. Pontifice Veronæ inter cardinales titulo ſanctorum Johannis & Pauli cooptatus eſt, & Romanæ eccleſiæ camerarii munere ornatus. In Gallias ad Philippum Francorum regem Celeſtini III. legatus adiit, ubi plures controverſias compoſuit, eoque ſedente diem clauſit extremum.

Cencius Sabellus Romanus ex canonico Regulari Lateranenſi a Celeſtino III. in diaconorum cardinalium ordinem adnumeratus, & Romanæ eccleſiæ camerarius adlectus, mox Innocentio III. Pontifice inter presbyteros relatus, titulum obtinuit ſanctorum Johannis & Pauli, quo etiam ſedente cancellarii munere functus eſt. Hujus monumentum exſtat in baſilica Lateranenſi æneis characteribus in valvis pariter æneis portæ epiſcopii, quo licet demolito, eæ tamen in baſilica reſtitutæ curatoris Cencii, & reſtitutoris Bernardini de Sabellis in-

inſcripta nomina ſervant. Defuncto Innocentio Pontifex ſuffectus, Honorii III. nomen accepit, atque ut in ſuperioribus memini, ſanctorum Martyrum Johannis & Pauli memoriæ obſequentiſſimus fuit. Sedi apoſtolicæ præfuit annos decem, & menſes octo, atque in baſilica Liberiana tumulum habuit.

VII. Bertrandus Sabellus Honorii III. fratris filius a patruo Romano Pontifice inter cardinales adſcriptus eſt, eodemque, cui præfuit, titulo decoratus. Illum legationis munere auctum ad conciliandos hæreticos, ſopiendos enaſcentium bellorum fragores, aliasque controverſias æquitate dirimendas Honorius in Gallias miſit. Poſtmodum eodem etiam jubente in Hiſpania legationem obivit, & circa ſeptimum annum patrui Pontificatus mortalitatem explevit.

Robertum cardinalem titulo quoque ſanctorum Johannis & Pauli ſedente Honorio apud auctores reperi, cujus tamen creationis annus ignoratur. Is Honorii literas anno milleſimo ducenteſimo decimoſeptimo ad Simeonem Tarracinenſem epiſcopum datas ſubſcripſit.

IX. Hinc poſtquam ſanctorum Johannis & Pauli titulus quadraginta prope annorum ſpatio cardinale titulari vacavit, Berengarius Stedelli, ſive ut alii ſcribunt, Fredeole Gallus, patria Narbonenſis ex abbate ſancti Aphrodiſii Biterrenſis,

mox

mox ſacelli Pontificii ſacerdote, ac demum Biterrarum epiſcopo a Clemente V. inter presbyteros cardinales titulo primum ſanctorum Nerei & Acchillei, deinde ſanctorum Johannis & Pauli cooptatus eſt, & majoris pœnitentiarii munere donatus. Jurisprudentiæ ſcientia inſtructiſſimus, legales titulos enucleatiſſime expoſuit, & volumen ſuper ſummam Oſtienſis ordine alphabetico digeſſit, necnon alia poſt ſe literarum monimenta reliquit. Ab humanis poſtremo exemptus eſt, quum ad epiſcopatum Tuſculanum gradum feciſſet.

Bertrandus de Bordis Gallus ex epiſcopo Albigenſi a Clemente V. cardinalium ſenatui adſcriptus eſt titulo ſanctorum Johannis & Pauli, & ſedis apoſtolicæ camerariatu decoratus. Hujus meminere Clementis V. regeſta, quæ manu exarata in Vaticana bibliotheca ſervantur. Extremum diem clauſit Avenione anno ultra milleſimum trecenteſimoundecimo.

X. Jacobus de Via, ſeu de Veza Johannis XXI. dicti XXII. ſororis filius Gallus, patria Cadurcenſis ab avunculo Romano Pontifice inter presbyteros cardinales relatus titulo præfuit ſanctorum Johannis & Pauli. Parum ſupervixit aſſumpta purpura, & Avenione occubit, ejusque corpus poſt ſollemnia ejus animæ perſoluta exſequiarum officia in eccleſia principe fuit ſepulturæ mandatum.

Matthæus Urſinus e monte Jordano dictus, ſeu de Campo Floræ Romanus ordinis Prædicatorum theologus, Franciſci Neapoleonis cardinalis nepos, ex provinciali Romano epiſcopus Agrigentinus, mox ad archiepiſcopatum Sipontinum translatus, deinde ab eodem Pontifice Johanne presbyterorum cardinalium ſenatui titulo ſanctorum Johannis & Pauli additus eſt, & Benedicto XI. dicto XII. ſedente, Sabinenſem epiſcopatum obtinuit. Antequam religioſæ Prædicatorum familiæ nomen daret, ſacras literas docuit, & canonicatum eccleſiæ ſancti Stephani Toloſæ apud Gallos nactus, magni nominis famam & ſingularis literaturæ ubique ſpecimen præbuit. Romani virum oratorem ad Johannem Pontificem direxerunt, ut illum adhortaretur ad apoſtolicam ſedem Urbi reſtituendam. Vitam cum morte commutavit Avenione decimoquinto kalendas Septembris anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo, & corpus Romam delatum in eccleſia ſanctæ Mariæ ſuper Minervam marmorea in arca conditum eſt. Fratres ordinis Prædicatorum Matthæum cardinalem inter beatos referunt, & miraculis clariſſimum tradunt.

XI. Stephanus Albertus ſeu Aubert Gallus e Monte Lemovicenſis diœceſis vir integerrimæ vitæ, decretorum doctor celeberrimus, ex majori Seneſcaliæ Toloſanæ judice, & cauſſarum in Romana

mana curia auditore in antiſtitem Noviodunenſem, poſtea Cameracenſem, demum Claramontenſem electus fuit. A Clemente VI. presbyter cardinalis titulo ſanctorum Johannis & Pauli, & major pœnitentiarius renunciatur, mox ad epiſcopatum Oſtienſem transfertur. Legationis munere Clementis juſſu functus eſt cum Hannibaldo Tuſculano cardinale ad Philippum Galliarum, necnon ad Odoardum Anglorum reges inter ſe graviter indignatos, ob idque ferali bello dimicantes. Epiſcopus Noviodunenſis eccleſiam principem exſtruxit, deinde Clemente e medio ſublato, anno ſupra milleſimum trecenteſimo quinquageſimoſecundo Romanus Pontifex Innocentii VI. nomine coronatur, & in Pontificali cathedra ſedit annos novem, menſes octo, & dies ſex. In templo Carthuſianorum Villæ-novæ ſecus Avenionem in membranacea tabella hæc Innocentii tumulo adpoſita manuſcripta exſtabat epigraphes:

Hic jacet
Beatiſſimus Papa Innocentius VI.
Primus fundator hujus domus,
Qui obiit anno M CCC LXII.
Die vero XII. *menſis Septembris,*
Cujus anima in pace requieſcat.
Amen.

Andoinus Albertus, quem alii Androinum vocant, Pontificis Innocentii VI. fratris filius Gallus, patria Lemovicensis ex Parisiensi primum, mox Antisiodorensi antistite Magallonensem ecclesiam regendam suscepit. Hinc ab Innocentio patruo presbyter cardinalis titulo sanctorum Johannis & Pauli creatus est, dein ad episcopatum Ostiensem translatus. Auctor fuit Andoinus xenodochii Avenione in pontis capite positi, cujus insignia supra fores collocata lapidi insculpta spectantur. Necnon collegium Magallonense Tolosæ ære suo ædificandum curavit. E vita exemptus est Avenione anno millesimo trecentesimo sexagesimotertio, & cadaver apud Carthusianos Villæ-novæ cum hac inscriptione, ipso mandante, affixa monumento sepultus est:

Lapide sub hoc modico jacent omnia viscera
Dicti Ostiensis A. dum vivebam in vita mea.

XII. Guillelmus Sudre Gallus Lemovicensis clarissimus ordinis Prædicatorum alumnus ex Tolosano provinciali primum sacri palatii apostolici lector, deinde episcopus Massiliensis, postea ab Urbano V. inter presbyteros cardinales titulo sanctorum Johannis & Pauli cooptatus, demum in numerum episcoporum adlectus, Ostiensem & Velitrensem ecclesias obtinuit. Putant nonnulli Guil-

Guillelmum hunc cardinalem Neapolitana legatione functum fuisse ad discordias, quæ inter Tarentinum principem, & Andriæ ducem ortæ erant, dirimendas. Obiit de re literaria egregie meritus anno millesimo trecentesimo septuagesimotertio, & corpus Avenione in templo ordinis Prædicatorum sepulturæ traditum fuit.

Simon de Borsano Mediolanensis legum doctor insignis a Gregorio XI. Pontifice primum archiepiscopatu Mediolanensi, mox Romana purpura titulo sanctorum Johannis & Pauli decoratur. Gregorio e vivis sublato comitiis Pontificiis interfuit, & pro Urbano VI. suffragium tulit: verum paullo post ab illo defecit, & Clementis VII. pseudo-Papæ partibus adhæsit, in cujus obedientia fato cessit Niciæ, ubi sepulcrum accepit.

XIII. Diro itaque schismate Romana ecclesia obruta & miserrime quassata opera præsertim Roberti ex comitibus Gebennensibus presbyteri cardinalis, qui Clementis VII. nomine contra Romanos Pontifices sedit, nonnulli etiam pseudo-cardinales creati sunt. Hos inter, quos Clemens assumpsit, titulum sanctorum Johannis & Pauli adeptus est primo Guterius seu Customerus Gometii de Luna Hispanus ex Aragonia episcopus Palentinus, qui cardinalium ordini ab Urbano VI. adscriptus oblatam respuit dignitatem, quam deinde a Clemente pseudo-Pontifice gratam acceptamque ha-

habuit cum titulo ſanctorum Johannis & Pauli, & ſe pro cardinale ac ſedis apoſtolicæ legato in Hiſpania geſſit, & pro Clemente contra Urbanum partes acerrime propugnavit. E vivis in Hiſpania abiit in ejusdem Clementis obedientia anno ſupra milleſimum trecenteſimo nonageſimoprimo.

Sequitur Johannes Flandrinus Gallus archiepiſcopus Auxitanus, quem presbyterum cardinalem titulo ſanctorum Johannis & Pauli idem Clemens præfecit. Illum deinde Benedictus XIII. Clementis ſucceſſor ad epiſcopatum Sabinenſem evexit. Huic licet a collegio ſuo deſerto & damnato Johannes conſtanti animo ad exitum uſque vitæ fidus comes adhæſit, & in ejus obedientia ante concilii Conſtantienſis ſententiam mortalitatem exegit.

XIV. Idem Clementis ſucceſſor Petrus de Luna Aragonius Benedicti XIII. nomine pſeudo-Pontifex, qui Romanæ eccleſiæ ſchiſma admodum confirmavit, ſuos etiam habuit pſeudo-cardinales, inter quos Petrus Blani ſive Blavi natione Gallus patria Gaballitanus diœceſis Mimatenſis, Urbani V. Pontificis gentilis, utriusque juris doctor celeberrimus, & referendarius apoſtolicus. Hunc Benedictus diaconum cardinalem ſancti Angeli adlegerat, quem in ſchiſmate pertinacem deſeruit. Interfuit concilio Piſano ac ſuffragium tulit pro Alexandro V., a quo inter presbyteros cardinales adnume-

meratus, ſanctorum Johannis & Pauli titulum accepit. E vita migravit Avenione, & in eccleſia monaſterii ſancti Andreæ extra muros terræ mandatum fuit, ejusque tumulo plura Gothicis literis inciſa ſunt carmina, quæ in ejus vita Ciaconius exſcripſit.

Thomas Brancatius Neapolitanus Johannis XXIII. Pontificis ſororis filius Tricaricenſis epiſcopus, ab Johanne avunculo inter presbyterorum cardinalium numerum relatus eſt titulo ſanctorum Johannis & Pauli. Romæ ſupremum diem obiit, & corpus Neapolim translatum, conditum fuit in monumento, quod illi & reliquis nobiliſſimæ ſuæ familiæ cardinalibus Octavius Brancatius in eccleſia ſancti Angeli ad Nidum ædificavit.

XV. Dominicus Ram Hiſpanus Aragonius vir ſingulari prudentia & literis præditus Oſcenſis primo, mox Illerdenſis, deinde Tarraconenſis antiſtes renunciatus eſt. Poſt obitum Martini Aragoniæ regis, qui ſine prole humanis rebus valedixerat, primus fuit Aragonenſium judex conſtitutus in tribuenda dubia regni ſucceſſione Ferdinando hujus nominis I. Caſtellæ infanti, & XXII. Aragoniæ regi: cujus nomine functus eſt oratoris munere in Neapolitano & Caſtellæ regnis, & Siciliam pro-regis officio rexit. Martinus V. Pontifex tanti viri fama permotus, eum presbyteris cardinalibus titulo

titulo sanctorum Johannis & Pauli adscripsit. Martino fatis functo Eugenii IV. interfuit electioni, a quo Portuensem & sanctæ Rufinæ episcopatum recepit. Romæ vita cessit plenus dierum, & in Lateranensi basilica hac inscriptione tumulo adposita sepultus est:

Hic jacet
Reverendissimus in Christo pater
Et dominus,
Dominus Dominicus Ram
Episcopus Portuensis
Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis
Tarraconensis nuncupatus.
Qui obiit anno Domini
M CCCC XLV.
Mense Aprilis,
Aetatis suæ centesimo
Vel circa.

Petrus Schowmbergus Germanus ex canonico Bambergensi & Herbipolensi a Martino V. episcopus Augustanus adlectus, in academia Bononiensi vir apprime doctus, eloquentia & prudentia nemini secundus, concilio Basileensi adsuit, Imperatori Friderico III. admodum charus. Ab eodem in Galliam missus, composuit & in concordiam redegit disceptantes inter se Angliæ Galliæque reges,

ac

ac Burgundiorum ducem: pacem quoque conciliavit inter ducem & Bavariæ principes. Hinc ab Eugenio IV. inter cardinales adnumeratus, titulum primo ſanctorum Johannis & Pauli, deinde ſancti Vitalis optavit. Obiit vir optimus in arce Dilingenſi anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimonono, & corpus Auguſtam translatum, ibidem ante aram ſancti Victoris conditum eſt. Ejus familiæ inſignia, quæ habet Ciaconius, ante illa Latini Urſini cardinalis in hac baſilica coloribus expreſſa adhuc diſtinguuntur, etſi hodie pariete ſuperalbato deleta.

XVI. Latinus Urſinus Romanus legum doctor clariſſimus epiſcopus primo Compſanus, deinde archiepiſcopus Barenſis, poſtea Tranenſis, a Nicolao V. Pontifice in cardinalium collegium titulo ſanctorum Johannis & Pauli relatus eſt. Paulus II. perpetuum Marchiæ Anconitanæ legatum nominavit, & Sixtus IV. Romanæ eccleſiæ camerariatus auxit officio, eique ſummam ſedis apoſtolicæ negotiorum commiſit. Legatus etiam Maſſam Trabariam, Bononiam, ac Farfenſem præfecturam rexit, necnon archipresbyter baſilicam Lateranenſem, quam jampridem Angelottus Fuſcus ab Eugenio IV., cui admodum charus fuit, in purpuratorum ordinem cooptatus adminiſtraverat. Hujus inclyta familia Ravelli vetuſtiſſima gaudet nobilitate, e qua in utroque ordine illuſtres viri

prodierunt, quos inter enumeratur Paulus Fuſcus Ravellenſis antiſtes doctrinæ elegantia notiſſimus, hodieque Neapoli vivit Franciſcus Fuſcus Villanus ob virtutum decus, & bonarum artium præſtantiam omni laude cumulandus, quem honoris & exiſtimationis cauſſa nomino. Archipresbyteratu itaque Lateranenſi Latinus decoratus, mox eccleſiæ Albanenſi, hinc Tuſculanæ epiſcopus præfuit, & Urbinatem anno ultra milleſimum quadringenteſimo quinquageſimo uti commendatarium duorum prope annorum ſpatio rexiſſe, ejusdem vetera monumenta teſtantur. Eccleſiam & monaſterium in Urbe ſancti Salvatoris in Lauro magnifice exſtruxit, iisque canonicos Regulares ſancti Georgii in Alga dote ampliſſima conſtituta donavit, quorum conſuetudine mirum in modum delectabatur. Bibliothecam multorum librorum copia inſignem huic cœnobio legavit, quæ in deplorabili Urbis depopulatione flammis conſumpta eſt. Barolum Apuliæ urbem legatum Pii II. Pontificis ſe contulit, ubi Ferdinandum initiatum, ut moris erat, & diademate ornatum Neapolitani regni regem declaravit. Aurea & argentea cuſa fuerunt numismata in publicum hujus coronationis plauſum, & nuper argenteum vidi in eleganti cimelio Dionyſii Mareſcotti equeſtri ordinis viri rei antiquariæ ſtudioſiſſimi, cujus altera facies dextrorſum Latinum cardinalem repræſentat Ferdinandi medii ſedentis capiti regalem coronam

ronam imponentem, ſiniſtrorſum Barolenſem epiſcopum ſtantem Pontificalibus indumentis inſignitum, & circum lemma: *Coronatus qui legitime certavit*; altera vero facies crucem præfert Græcorum more deſignatam, Jeroſolymitani regni inſigne, cum notis: *Ferrandus D. G. Rex Siciliæ, Jeruſalem, & Hungariæ*. Clivenſi duci Romam petenti Latinus cardinalis una cum Proſpero Columna item cardinale in occurſum fuit, & Polonica inſuper legatione functum fuiſſe Martini Cromeri teſtimonio firmatur. Romæ optimus cardinalis Sixto IV. Pontifice e vivis abiit, ejusque corpus in præfata ſancti Salvatoris eccleſia ſine ulla ſepulcrali inſcriptione, ut ipſe ſupremis in tabulis mandaverat, tumulum habuit. Octo dies antequam vitam cum morte commutaret idem Sixtus Pontifex omnibus fere Romanæ curiæ cardinalibus ſtipatus Latinum ægrotantem inviſit, conſiſtorium in ejus cubiculo habuit, & plurium eidem gratiarum munera largitus eſt. Id exempli genus paucis ab hinc annis vidimus in maximo Pontifice CLEMENTE XI., qui Franciſcum Nerlium Cardinalem doctrina, rerumque agendarum peritia ſingularem, virum immortalitate digniſſimum magno honoris & dilectionis argumento in ſumma ægrotatione Pontificio recreavit acceſſu, necnon Carolum Barberinum cardinalem extremo morbo laborantem ſua eſt dignatus viſitatione. In impluvio cœnobii ſan-

cti Salvatoris in Lauro Latino erectum hoc exstat monumentum, marmorea ejus effigie supposita:

Latino cardinali Ursino,
Optimo & munificentissimo
Parenti.

Canonici grati animi
C. P. C.
Anno Domini
M DC XXI.

XVII. Philibertus, seu ut alii scribunt, Philippus Hugonetus Gallus, Caroli Burgundiæ ducis nomine pluribus legationibus clarus, episcopus Matisconensis deinde renunciatus, Caroli ducis precibus a Sixto IV. inter presbyteros cardinales titulo primum sanctæ Luciæ in Silice, mox sanctorum Johannis & Pauli adlectus est. Legatus Patrimonii provinciam rexit, & præfuit ecclesiis Andegavensi, ac Æduensi. In Urbe morbo exhaustus supremum diem obiit anno ultra millesimum quadringentesimo octogesimoquarto, ejusque cadaver in ecclesia sanctæ Mariæ de Populo sepulcro fuit donatum.

Johannes-baptista Ursinus Romanus protonotarius apostolicus, & cameræ clericus, necnon Vaticanæ basilicæ canonicus a Sixto IV. primum dia-

diaconis, poſtmodum presbyteris cardinalibus titulo ſanctorum Johannis & Pauli adſcriptus eſt. Poſt obitum Johannis-baptiſtæ Sabelli cardinalis archipresbyteri Liberianæ baſilicæ munere ornatus, deinde archiepiſcopus Carthaginenſem, poſtea Tarentinam eccleſiam adminiſtravit. Legationem in Marchia Anconitana, Bononiæ, atque in Exarchatu Ravennæ, necnon in Æmilia ſedis apoſtolicæ nomine obivit. Comitiis Pontificalibus pluries interfuit, & licet Alexandri VI. in Pontificem electionis auctor fuerit, ille tamen ad Pontificatum aſſumptus infenſo animo in Urſinos omnes Johannem-baptiſtam cardinalem in arce ſancti Angeli in carcerem conjecit, ubi paullo poſt efflavit animam non ſine ſuſpicione veneni, ejusque corpus in eccleſia ſancti Salvatoris in Lauro ſepulturam accepit.

XVIII. Ardicinus de la Porta junior Novarienſis Ardicini ſenioris cardinalis nepos, ex vicario epiſcopali Florentiæ ad Alerienſem inſulam evectus eſt. In Pannoniam miſſus ad Mathiam regem, mox in Germaniam ad Maximilianum Cæſarem, adeo utrique pergratus fuit, ut atrox ac diuturnum bellum, quod inter illos debacchabatur, prudenter extinxerit, & principum iratos animos ad pacem revocaverit. Romam reverſus ſupplicibus libellis referendis ac ſignandis præfuit. Olomucenſem eccleſiam epiſcopus rexit, hinc ex

Um-

Umbriæ, & Marchiæ Anconitanæ prolegato in presbyterorum cardinalium numerum ab Innocentio VIII. adſcitus eſt titulo ſanctorum Johannis & Pauli. Quartum ab accepta purpura poſt annum humanarum rerum vicibus ſecum animo cognitis, & inanis gloriæ pertæſus, Camaldulenſium monachorum ordinem ingredi cogitavit, ejusque religioſam inſtitutionem profiteri. Id ſimul ac Romæ nunciatum eſt, cardinalibus ægre ferentibus, ab Innocentio Romam vocatur. Verum per eos prope dies in ægritudinem lapſus, quintum poſt menſem Romæ mortalitatem explevit anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimotertio, ejusque cadaver in baſilica Vaticana terræ mandatum fuit, hodieque in cryptis baſilicæ hoc legitur lemma antiquæ additum ſepulcrali inſcriptioni:

D. O. M.

Sepulcrum cardinalis Ardicini
De la Porta
Novarien.
Tituli ſanctorum Johannis
Et Pauli.

Aliud, quod huic conſonat, virtutis exemplum nuper univerſo admirante orbe Roma ſuſpexit in Gabriele Philipuccio patricio Maceratenſi ex duodecim

decim ſignaturæ juſtitiæ præſulibus, antiquæ probitatis & vitæ inculpatæ viro, qui diuturna undique laborum ſerie poſt emeritos Romanæ curiæ honores a CLEMENTE XI. Pontificum optimo in celebri illa undeviginti Cardinalium creatione tota plaudente Urbe inter purpuratos patres adlectus, miro humilitatis & conſtantiæ ſigno oblatam ſemel & iterum reſpuit dignitatem. Mox paucos poſt menſes de fluxi ſæculi honoribus victor extremo confectus morbo pia morte occubuit, ejusque animæ Pontifex clementiſſimus in ampliſſimo ſancti Ignatii templo ſollemnia magnifico apparatu exſequiarum perſolvit officia, quibus omnes Romanæ curiæ præſulum ordines interfuere.

XIX. Raymundus Perauld Gallus epiſcopus primo Sanctonenſis in Gallia, deinde Novarienſis ac Viterbienſis in Italia, mox Gurcencis & Agrigentinus in Germania, ubi nuncii apoſtolici munere functus eſt ad colligendam pro bello Turcico pecuniam, & ad concordiam inter Chriſtianos principes comparandam, demum ab Alexandro VI. ad preces Maximiliani Cæſaris, & Caroli VIII. Francorum regis inter diaconos cardinales, dein presbyteros titulo ſanctorum Johannis & Pauli eſt cooptatus. Alexandri juſſu legationem in Peruſina civitate, & Tudertina, necnon Julio II. Pontifice in Patrimonii provincia adminiſtravit. E vivis abiit Viterbii anno milleſimo quingenteſimoquinto, ibique

que in æde sanctissimæ Trinitatis ordinis Eremitarum sancti Augustini conditus, hac ejus tumulo adposita epigraphe:

D. O. M.

Raymundus Perauld
Patriæ suæ Santonensis episcopus
Ac sanctæ Romanæ ecclesiæ
Presbyter cardinalis
Gurcensis,
Proque ea legatus
Adeo opulentiæ contemptor,
Ut elargiendo
Nihil sibi relinqueret.
Ab Julio tamen II.
Pontifice maximo ditatus,
Dum Patrimonii legatione
Fungitur,
Viterbii obiit nonis Septembris
Anno salutis MDV.,
Atque ab Julio tradita
Solum retinere occœperat,
Sic monumentum hoc haud quæsitum
Reverentia ejusdem
Approbare credendum est.
Vixit annos septuaginta.

Fran-

Franciſcus Remolinus Hiſpanus patria Illerdenſis regis Aragoniæ ad Romanum Pontificem oratoris munus implevit. Suſcepto hinc ab uxore religioſo inſtituto, archipresbyteratum Caccabenſem, & cantoratum Mazzarienſem ſacerdos ordinatus obtinuit. Romæ Cæſari Borgiæ adhærens protonotarius apoſtolicus, mox Romanæ rotæ auditor, antiſtes Surrentinus, ac Urbis prætor renunciatur. Poſtmodum Florentiam Alexandro VI. jubente adivit, ut Hieronymum Savanarolam inſignem concionatorem a clericali amoveret militia. Cardinalium collegio, vivente adhuc uxore jam inter ſanctimoniales adſcripta, ab eodem Alexandro adjunctus eſt titulo ſanctorum Johannis & Pauli, quo relicto ad epiſcopatum Albanenſem gradum fecit. Præter Albanenſem epiſcopus præfuit eccleſiis Illerdenſi, Firmanæ, Peruſinæ, & archiepiſcopus Panormitanæ, ac pro-regis vices in Neapolitano regno ſumma cum laude peregit. Presbyter cardinalis concilio Lateranenſi interfuit ſub Leone X. celebrato, quo ſedente Romæ deceſſit, atque in baſilica Liberiana ſepulcrum accepit.

XX. Hadrianus Florentius natione Belga patria Trajectenſis, Lovanienſis academiæ decanus & cancellarius, Caroli V. Imperatoris præceptor, mox epiſcopus Dertuſenſis, ſupplicante Maximiliano Cæſare, a Leone X. in maxima illa triginta & unius cardinalium creatione in presbyterum

cardinalem titulo ſanctorum Johannis & Pauli adſcitus eſt. Maximiliano ab humanis ſublato, Carolus in Imperio ſucceſſor in Germaniam contendens, Hadrianum toti Hiſpaniæ gubernatorem præfecit. Hinc poſt Leonem anno milleſimo quingenteſimo viceſimoſecundo abſens ad apoſtolicam ſedem Hadriani VI. nomine unanimi patrum ſuffragio evectus, illam rexit annos prope duos. Corpus conditum eſt in eccleſia ſanctæ Mariæ de Anima nationis Teutonicæ inſigni monumento, quod ei Willelmus cardinalis Enckenvoirtius hoc addito elogio in grati animi ſignum exſtruxit:

D. O. M.

Hadriano VI. Pont. max.
Ex Trajecto
Inſigni inferioris Germaniæ urbe,
Qui dum humanarum rerum
Maxime averſatur ſplendorem,
Ultro a proceribus
Ob incomparabilem
Sacrarum diſciplinarum ſcientiam,
Ac prope divinam
Caſtiſſimi animi moderationem,
Carolo V. Cæſari Auguſto præceptor,
Eccleſiæ Dertuſenſis antiſtes,
Sacri ſenatus patribus collega,

Hiſpa-

Hispaniarum regnis præses,
Reipublicæ denique Christianæ
Divinitus Pontifex absens adscitus,
Vixit annos LXIV.
Menses V.
Dies XIII.
Decessit XVIII. *kalendas Octobris*
Anno a partu Virginis
M D XXIII.
Pontificatus sui anno II.

Willelmus Enckenvoirt
Illius benignitate & auspiciis
Tituli sanctorum Johannis & Pauli
Presbyter cardinalis
Dertusen.
Faciundum curavit.

Willelmus Enckenvoirtius Brabantinus patria Trajectensis, seu ut alii putant Silvæducensis; Hadriani Pontificis individuus comes, a quo ex Silvæducensi canonico datarius electus, mox Dertusensi episcopatu donatus, presbyteris cardinalibus titulo sanctorum Johannis & Pauli adscriptus est. Clemente VII. Pontifice Trajectensis episcopus nominatus, egregii & religiosi animi ubique edidit argumenta. Romæ e vita migravit anno millesimo quingentesimo tricesimoquarto, sepul-

tusque in æde ſanctæ Mariæ de Anima eleganti hac inſcriptione ejus tumulo inciſa :

D. O. M.

Willelmo Enkenvoirtio
Brabantino
Sanctæ Romanæ eccleſiæ
Presbytero cardinali,
Qui plurimis
Romanæ reipublicæ magiſtratibus,
Et Germaniæ procuratione
Integerrime functus,
Ab Hadriano VI.
Pontifice maximo,
Cujus item res adminiſtraverat,
Libellis dandis,
Et eccleſiæ Dertuſenſis præfectus,
Et in cardinalium collegium
Claro benevolentiæ indicio,
Translatis in eũ priſtinæ ſuæ dignitatis inſignibus,
Solum cooptatus,
Deinde etiam a Clemente VII.
Eccleſia Trajectenſi honeſtatus eſt.
Carolo V. Imperatori libentiſſimus,
Quem ab illo coronam Imperialem
Accipientem inunxit,
Quique beneficiorum memor

Ha-

Hadriani cadaver
E ſancti Petri basilica
In hanc ædem,
Cujus construendæ & ornandæ
Adiutor fuit,
Sepulcro posito transferri curavit,
In egenos
Et in omnes homines beneficentiſſimus,

Johannes Dominicus Tranen.
Antonius Sanſeverinus cardd.
Et P. Vostius episcopus Aquen.
And. Castillo ſcriptores apostolici
Ex testamento posuere.

Vixit annos LXX.
Mortem obiit M D XXXIV.

XXI. Stephanus Gabriel Merinus natione Hiſpanus, patria Giennenſis ad preces Caroli V. ex Indiarum patriarcha primum ad archiepiſcopatum Barenſem, dein a Clemente VII., quum Bononiæ degeret, ad cardinalatum aſſumptus, poſt titulum ſancti Vitalis alium ſanctorum Johannis & Pauli adeptus eſt. Præfuit etiam epiſcopus Giennienſi eccleſiæ in Hiſpania, necnon Bovinenſem, & Cajetanam in regno Neapolitano adminiſtravit. Mortem ſubiit Romæ anno ſupra milleſimum quingen-

gentesimo tricesimoquinto, ejusque corpus humatum est in ecclesia sancti Jacobi nationis Hispanicæ honorabili adposita epigraphe:

D. O. M.

Gabrieli Merino
Giennensi episcopo
A Carolo V. Imperatore
Ob sedandas populares Hispaniæ
Seditiones
Inter intimos consiliarios adscito,
Classi in Italiam naviganti præposito,
Bello Pannonico
Pro communi salute suscepto
Procuratori rerum castrensium præfecto,
A Clemente VII.
Pontifice Maximo
Ad summos honores evecto,
Sexagesimotertio ætatis suæ anno
Publico dolore
Bene acta vita functo
P.

Petrus, quem alii Ennecum vocant, Manriquez Hispanus, Aloysii Fernandez Manriquez filius ex episcopo Cordubensi, Carolo V. Imperatore enixe postulante, absens a Paulo III. inter pres-

presbyteros cardinales titulo ſanctorum Johannis & Pauli adnumeratus eſt. Peſtilentiali morbo Romæ fatis conceſſit Paulo adhuc Pontifice, & in ecclesia ſanctæ Mariæ de Ara-cœli in temporario ſepulcro fuit depoſitus, inde in Hiſpaniam translatus.

XXII. Fridericus Fregoſius Genuenſis ex epiſcopo primum Eugubino, mox archiepiſcopo Salernitano in ordinem presbyterorum cardinalium titulo ſanctorum Johannis & Pauli a Paulo III. adſcriptus eſt. Franciſci I. Galliæ regis partibus adhæſit, ad quem patriæ exitium a Cæſarianis direptæ declinans confugit: & apud illum tanto in honore fuit, ut in præmium ſervatæ fidei ſancti Benigni Burgundiorum apoſtoli Divionenſe cœnobium inter alia Galliæ monaſteria celeberrimum ſibi commendatum primus obtinuerit. Eugubii occubuit anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimoprimo, tumulumque in eccleſia principe accepit.

Petrus de la Baume Gallus canonicus & comes Lugdunenſis, Tarſenſis ac Genevenſis epiſcopus, Biſuntinæ eccleſiæ deinde coarchiepiſcopus, poſtmodum archiepiſcopus adlectus, a Paulo III. presbyteris cardinalibus titulo ſanctorum Johannis & Pauli additus eſt. Eo epiſcopo Genevenſes, abjecta Orthodoxa fide, Calvinianam hæreſim publice profeſſi ſunt, quam tamen optimus antiſtes

ad

ad ſanguinem uſque eliminare ingenti labore ſtuduit. Romam hinc profectus, mox in Galliam, ibidem e vivis ereptus eſt in comitatu Arboſii in Burgundia ſuperiore, ejusque corpus in æde ſancti Juſti terræ traditum fuit.

XXIII. Marcellus Creſcentius Romanus ob ſingularem doctrinam & præclaras animi dotes ex canonico baſilicæ Liberianæ Romanæ rotæ auditor vigintiquinque tantum annos natus renunciatur, dein Marſicanæ eccleſiæ epiſcopus, mox hujus tituli cardinalis a Paulo III. Pontifice adlegitur. Ex ſignaturæ brevium præfecto, Bononiæ ac Ravennæ perpetuus, & concilio Tridentino ſub Julio III. ſolus apoſtolicæ ſedis legatus præfuit. Veronæ diem obiit extremum anno ultra milleſimum quingenteſimo quinquageſimoſecundo in cœnobio monachorum Olivetanæ congregationis, & corpus Romam aſportatum conditum fuit in ſepulcro majorum in eccleſia ſanctæ Mariæ ad Martyres, indeque ad baſilicam Liberianam translatum, pernobili hoc epitaphio ſepulcrali ejus lapidi exſculpto:

D. O. M.

Marcello cardinali Creſcentio,
Qui ob inſignem præſtantis ingenii laudem
Vigintiquinque annos natus
A Clemente VII. rotæ auditor,

Deinde

Deinde episcopus factus
A Paulo III.
Sanctæ Romanæ ecclesiæ
Presbyter cardinalis creatus,
Principum virorum,
Regumque in primis gratia
Et benevolentia floruit.
Sub Julio III. Bononiæ perpetuus,
Tridentini concilii
Solus apostolicæ sedis legatus,
In Orthodoxæ fidei caussam
Quum totus incumberet,
Gravi morbo consumptus
Veronæ decessit
Anno ætatis suæ LII.
Salutis humanæ M D LII.
V. *kal. Junii.*

Alexander Crescentius fratri B. M.
Et sibi posterisque suis
T. F. I.

Marius Crescentius Hippolyti filius,
Alexandri nepos,
Marii pronepos fecit
Anno M D LXXXVII.

Georgius Armaniacus Gallus, episcopus primo Ruthensis, & ecclesiarum Lescariensis & Vabrensis administrator, regis Francorum ad Venetos, mox ad Romanum Pontificem orator, in ipsius regis gratiam a Paulo III. ad purpuram vocatus est titulo sanctorum Johannis & Pauli. Archiepiscopatu Tolosano a Francisco II. Gallorum rege donatus, tum arcani consilii particeps effectus, & in expeditione Germanica totius Occitaniæ gubernator summa omnium laude commissam provinciam implevit. Tolosana ecclesia dimissa, Avenionensem administrandam suscepit, ubi in vivis esse desiit anno millesimo quingentesimo octogesimoquinto, ejusque corpus in majori ecclesia sanctæ Mariæ de Donis in sacello archiepiscoporum sepultum est.

XXIV. Fabius Mignanellus Senensis inter advocatos consistorialis aulæ adlectus magnæ prudentiæ & consilii vir, ad Venetam rempublicam, tum ad Carolum V. Cæsarem legatus, deinde Piceni præfectura donatus est. Bononiæ prolegationem iniit, legato Bonifacio Ferrerio cardinale, mox Lucerinus episcopus renunciatus, ad Tridentinum concilium accessit. Paullo post e Lucerino ad Grossetanum episcopatum translatus, a Julio III. ad cardinalatum evectus titulum sancti Silvestri obtinuit, quo relicto alium sanctorum Johannis & Pauli optavit. Signaturæ justitiæ præfectura

ctura decoratus, aliisque muneribus egregie functis, Romæ fatis cessit anno millesimo quingentesimo quinquagesimoseptimo, & in templo sanctæ Mariæ de Pace tumulo traditus fuit.

Antonius Trivultius Mediolanensis utriusque signaturæ referendarius, mox episcopus Tolonensis, hinc Perusinam urbem legati nomine, & Avenionensem prolegatus gubernavit. A Julio III. in Galliam sedis apostolicæ nuncius destinatus, postea ad Venetos internuncius, demum a Paulo IV. purpura ornatur titulo sanctorum Johannis & Pauli. Signaturæ justitiæ, Fabio Mignanello cardinale decessore humanis curis exempto, ab eodem Pontifice præficitur, a quo in Galliam ad Henricum II. ad pacem cum Philippo II. Hispaniarum rege comparandam legatur, qua feliciter comparata, Italiam repetens, in oppido sancti Martini apoplexia correptus post biennium e vivis abiit, ibique sepulturam accepit.

XXV. Alphonsus Carrafa Neapolitanus Pauli IV. nepotis filius ex protonotario apostolico ab eodem inter diaconos cardinales annum decimumseptimum suæ ætatis agens adscriptus, Pio IV. Pontifice, titulum sanctorum Johannis & Pauli inter presbyteros relatus optavit. Archiepiscopatu Neapolitano a Paulo donatus, illum egregia cum laude administravit. Officio auditoris cameræ nomine a Paulo deleto, & in cameræ regentatus nomen con-

verſo, quod munus maximis privilegiis Pontifex cumulavit, Alphonſo cardinali traditum eſt; idque uni ex cardinalibus Romanæ eccleſiæ camerariatus more conferri Paulus Pontificio diplomate ſanxit. Sedis apoſtolicæ bibliothecarii dignitate auctus, magnum undique optimæ eruditionis ſpecimen præbuit, ejusque imaginem inter alios Romanæ eccleſiæ bibliothecarios in Vaticana bibliotheca ſæpeſæpius ob oculos habui. Pio IV. ſedente in communi Carrafarum caſu abſque culpa male mulctatus, in Hadriani molem conjectus, carcerem mira patientis animi virtute ſuſtinuit. Carolo cardinale patruo, & reliquis morte damnatis, Alphonſus in centum millium aureorum ſolutione plexus fuit, & cameræ apoſtolicæ regentatus honore privatus. Cæterum quum ipſius redditus adeo tenues eſſent, ut nullo modo tantam pecuniæ vim effundere poſſet, ejus innocentiæ miſertus ampliſſimus cardinalium ſenatus, pro illo decem millia perſolvit. Alphonſi cardinalis memoriam, & adverſam nimis Carrafarum fortunam Antonius Maria Gratianus epiſcopus Amerinus egregium literarum decus in libro de caſibus virorum illuſtrium eleganter ſatis deſcribit. Mox Alphonſus Neapolim ad curandum ſibi commiſſum gregem, Pio Pontifice permittente, accedens, diœceſanam ſynodum menſe Februario anni ſupra milleſimum quingenteſimi ſexageſimiquinti celebravit, ubi tractanda ſervandaque propoſita

posita fuerunt a Julio Antonio Sanctorio cardinalis Alphonsi (ut vocabant) locumtenente & officiali, viro ob doctrinæ amplitudinem in omni ætate clarissimo, qui Romanam adeptus purpuram, singulari Catholicæ ecclesiæ præsidio fuit atque ornamento. Anno superiori ante synodi celebrationem œcumenici concilii Tridentini decreta de residentia, & reformatione matrimonii vulgavit, ut liber actorum decretorumque synodi abunde testatur jubente Alphonso typis editus, in quo insuper adnotavi quarta die ab ejus aperitione & exordio septima Februarii reliqua præfati concilii evulgasse decreta: „ Deinde dominus cardinalis (actorum sunt verba) mandat legi reliqua decreta concilii Triden-
„ tini a domino Fabio Pulverino canonico ejusdem
„ ecclesiæ, qui legit usque in finem, necnon confir-
„ mationem ejusdem concilii attestatam per illu-
„ strissimum & reverendissimum dominum Ale-
„ xandrum Farnesium vice-cancellarium, ac etiam
„ bullam confirmationis ejusdem concilii editam
„ per sanctissimum dominum nostrum Pium Pa-
„ pam IV.; item bullam declarationis ejusdem
„ sanctissimi domini nostri Papæ, a quo tempore
„ decreta ejusdem concilii obligare cœperint.
Mox infra: „ Dum sæpememorati generalis con-
„ cilii decreta legerentur & publicarentur, fores
„ ecclesiæ & chori patefactæ sunt, & laici quoque
„ admissi sunt. Hinc die decimaquarta a prandio

post

poſt habitam a patribus ſynodalium conſtitutionum approbationem : „ Tunc dominus cardinalis (ſequuntur acta) mandavit legi decretum, ut unus-
„ quisque canonicus , rector & curatus habeat co-
„ dicem canonum , & decretorum concilii Triden-
„ tini , & hujuſce ſynodi conſtitutiones . Poſtremo inter decreta prope finem : „ Decernimus etiam di-
„ ctorum generalis ſynodi decretorum & canonum
„ publicationem , necnon omnes & ſingulas admo-
„ nitiones , ſtatuta , decreta , & mandata in hac
„ univerſi cleri noſtri ſynodo facta , ordinata , &
„ geſta , ac illorum promulgationem ita omnes
„ & ſingulos quos tangit afficere , ac ſi perſonaliter
„ & ſingulariter ſingulis ipſis notificata & intimata
„ fuiſſent : hactenus decretum . Deinde prudentiſſimus cardinalis in capitulo canonicorum die undeviceſima Februarii habito ſalutaria ſtatuit decreta , quibus illud compoſuit atque ordinavit , nullo inter illos ſingularis dignitatis prærogativa admiſſo gradu . Verum paullo poſt ingenti laborum pondere , quos pro eccleſiæ ſuæ ſpirituali regimine impendebat , gravatus in lethalem lapſus morbum , bonorum omnium mœrore eodem anno Neapoli vitæ curſum explevit . Eo autem ſanctiſſimus Pontifex Pius V. Alphonſum peculiari amore proſequutus eſt, ut illius ſemper cum laude meminerit : idque potiſſimum præſtitit in apoſtolico diplomate pro Neapolitanæ eccleſiæ canonicis dato „ apud ſan-
ctum

„ ctum Petrum quarto nonas Martii, Pontificatus „ anno quarto; ubi illis ejusdem vestis usum ubique locorum usurpandæ concedit, qua protonotarii apostolici in sacello Pontificio utuntur, necnon eo simili honore incedere, quo abbates benedicti incedunt: hoc enim diploma, quod in archivo capitulari archiepiscopalis ecclesiæ servatur, idque privilegii genus præcipue in gratiam memoriæ Alphonsi cardinalis Pontifex indulsit, quum scilicet „ Nea„ politana ecclesia (ut diploma loquitur) per felicis „ recordationis Paulum Papam IV. prædecessorem „ nostrum primo, & deinde Alphonsum Carrafam „ cardinalem non immerito gubernata & amata „ fuerit. Aliud hinc amoris in Alphonsum Pius edidit argumentum; ejus nimirum quoad vixit amantissimus in odeo cathedralis ecclesiæ magnificum & lævigatis marmoribus nomini ejus sepulcrum exstruxit, cui hanc subjecit epigraphem:

D. O. M.

Alphonso Carrafæ
Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali
Archiepiscopo Neapolitano,
Adolescenti non minus virtute sua
Quam majorum splendore claro,
Patrui Pauli IV.
Pontificis maximi

Reli-

Religionem
Integritatemque referenti,
Ea ſapientia prædito,
Ut in ſecundis rebus
Summam ejus temperantiam,
In adverſis miram conſtantiam
Omnes laudaverint.

Pius V. Pont. max.
P.

Vixit annos XXV.
Dies XV.
Obiit anno MDLXV.
IX. *kal. Septembris.*

XXVI. Gabriel Palæottus Bononienſis a Paulo IV. inter Romanæ rotæ auditores relatus, mox ad concilium Tridentinum miſſus, de quo admodum meritus a Pio IV. inter presbyteros cardinales titulo primum ſanctorum Nerei & Achillei, deinde ſanctorum Johannis & Pauli cooptatus eſt: hinc ad Bononienſem cathedram aſſumptus ſumma cum laude paſtorale munus obivit. Quum autem Gregorius XIII. Bononienſi eccleſiæ metropolitanæ jura conceſſerit, Gabriel primus omnium archiepiſcopali honore potitus eſt, & pallio archiepiſcoporum more decoratus. Inter epiſcopos cardinales adnu-

adnumeratus, Albanensem rexit ecclesiam, ex qua ad Sabinensem gradum fecit. Romæ demum Clemente VIII. Pontifice occubuit, & corpus in temporario sepulcro in æde sancti Johannis nationis Bononiensis depositum, inde Bononiam translatum in majori ecclesia conditum fuit.

Antonius Carrafa Neapolitanus Pauli IV. gentilis sui cubicularius & pincerna, basilicæ Vaticanæ canonicus, post Pauli obitum in ejus familiæ communi fato a Pio IV. canonicatu privatus est. A Pio V. ad illum revocatur, a quo etiam in senatum apostolicum diaconus cardinalis adlegitur. Mox inter presbyteros adscitus, titulum optavit sanctorum Johannis & Pauli, & bibliothecarii munere auctus; ejusque exstat imago inter apostolicæ sedis bibliothecarios in Vaticana bibliotheca. Aliis pluribus obeundis officiis a Romano Pontifice admotus, ingenti omnia cum plausu prudenter implevit. Illum nanque Sixtus V. congregationi sacrorum bibliorum eorumque correctioni, necnon Tridentini concilii interpretationi, breviarii ac missalis Romani castigationi præfecit. Ejus doctrinam & mores mire commendarunt atque admirati sunt viri clarissimi, quos inter principem obtinent locum duo immortalis nominis cardinales, nimirum Stanislaus Hosius, & Cæsar Baronius: ille in epistola, qua ipsi gratulatur de purpura recenter adepta, hic ante omnia in primo annalium tomo, quem Antonio

Carrafæ cardinali poſt Sixto V. Pontifici nuncupationem inſcribit, ubi profitetur ſe illum graviſſima ejus auctoritate permotum, ejusque cohortationibus confirmatum emittere in lucem: palam enim ſunt omnibus ejusdem Sixti apoſtolicæ literæ in limine hujus voluminis evulgatæ, ubi Pontifex doctiſſimi operis laudem refert in Antonium cardinalem, qui illud uti Catholicæ eccleſiæ perutile magnopere commendaverat. Deinde Antonii Carrafæ in apparatu ad annales ampliſſime meminit, ubi eum ſummis laudibus cumulat, quod multo labore ac ſtudio (ut erat græcis & latinis literis peritiſſimus) græcam ſeptuaginta duorum interpretum editionem jam pene antiquatam in lucem vindicaverit, eandemque latine redditam non minori labore emendatam ac perpolitam edendam curaverit. Demum in tomo tertio annalium gravem illius obitus caſum plurimo ſenſu dolet, ibique in ejus præconia effuſus velut in compendium redigit optimi viri virtutes. Romæ e vita ceſſit de re literaria, & de Catholica eccleſia egregie meritus anno milleſimo quingenteſimo nonageſimoprimo, ejusque corpus in eccleſia ſancti Silveſtri ad montem Quirinalem ſepulcro donatum fuit hiſce tantum notis pro epigraphe poſitis:

Antonii Carrafæ
S. R. E. presbyteri cardinalis ſepulcrum.

Nico-

XXVII. Nicolaus de Pelleve Gallus patria Rothomagensis, senator Parisiensis, supplicum libellorum in curia magister, deinde abbas sancti Remigii Remensis, hinc ex insula Ambianensi ad Senonensem archiepiscopatum, demum ad Remensem translatus, mox instante Carolo IX. rege a Pio V. presbyter cardinalis titulo sanctorum Johannis & Pauli creatus est. In Romana curia regnorum Scotiæ, & Hiberniæ, necnon clericorum sancti Hieronymi patrocinium suscepit. Ante purpuram nuncii apostolici munere Paulo IV. Pontifice functus est apud Mariam Guisiam Mariæ Stuartæ Scotiæ reginæ matrem, tumultuantibus pro religione totius Scotiæ populis. Post reditum regiis sigillis, atque Alenconio duci Caroli regis fratri regendo præficitur. Obiit Lutetiæ Parisiorum in archiepiscopalis ecclesiæ Sennonensis palatio anno supra millesimum quingentesimo nonagesimoquarto, ejusque corpus Remos delatum in majori ecclesia terræ mandatum fuit.

Alexander Mediceus Florentinus Leonis X. & Clementis VII. Romanorum Pontificum consanguineus ac affinis, Cosmi Magni Etruriæ ducis ad Pium V. orator accessit. Pistoriensis primum episcopus, mox ad Florentinum archiepiscopatum promotus, adhuc archiepiscopus a Gregorio XIII. in ordinem presbyterorum cardinalium cooptatur, & inter plures, quibus præfuit, sanctorum

Johannis & Pauli titulum optavit. A Pontifice Clemente VIII. ad Henricum IV. Francorum regem legati munere missus, ut illum in ecclesiæ gremium reciperet, commissæ legationis provinciam felicissime perfecit. Hinc Clemente e vivis sublato, ex Prænestino episcopatu, sancto Philippo Nerio divino afflato spiritu jampridem augurante, ad Pontificatum Leonis XI. nomine assumptus brevi viginti & septem dierum imperio plures annos, quos merebatur, implevit. Extremus fuit Mediceæ gentis Pontifex, quæ minore centum annis curriculo quatuor Romanos Pontifices sedi apostolicæ dedit. Alexander Algardus sculptor celebris, Roberto Ubaldino cardinale ex sorore pronepote jubente, monumentum ejus corpori egregie elaboratum exstruxit in Vaticana basilica, quod hodie contra illud spectatur item pernobile Innocentio XI. Pontifici (cui Catholicus orbis suam libertatem ab irruente Turcarum tyrannide auro & precibus comparatam æternum debebit) a Livio Odescalco Bracciani duce fratris filio ædificatum; eique hæc legitur subjecta sepulcralis inscriptio:

Leoni XI. Medici
Florentino
Pont. Opt. Max.,
Qui ad summam ecclesiæ Dei
Felicitatem

Osten-

Ostensus magis quam datus
Christianum orbem
Brevi XXVII. *dierum lætitia,*
Et longo annorum mœrore
Complevit.

Robertus cardinalis Ubaldinus
Ex sorore pronepos
Grati animi monumentum
Posuit.

Obiit anno ætatis suæ LXIX.
V. *kalendas Maii*
M DC V.

XXVIII. Johannes-baptista Castruccius Lucensis Vaticanæ basilicæ canonicus, Sixti V. supplicum libellorum præfectus, mox archiepiscopus Teatinus, dein Romana purpura ab eodem Pontifice decoratus, Clemente VIII. sedente, titulum sanctorum Johannis & Pauli adeptus est. Alexandro Riario cardinale fatis functo, signaturæ justitiæ præpositus, hinc in maximis Romanæ ecclesiæ negotiis adhibitus, demum Lucæ post decennium supremum diem obiit, & in æde sancti Francisci tumulum habuit, cui hoc exstat suppositum sepulcrale elogium:

D. O. M.

Johanni-baptistæ Castruccio
Lucensi
Tituli
Sanctorum Johannis & Pauli
Presbytero cardinali,
Signaturæ justitiæ
Sanctissimi Domini nostri
Præfecto.

Augustinus Cusanus Mediolanensis protonotarius apostolicus, ex clerico cameræ generalis auditor, mox a Sixto V. in diaconorum cardinalium numerum, deinde presbyterorum adlectus, titulo præfuit sanctorum Johannis & Pauli. Clementem VIII. Ferrariam adeuntem comitatus est, unde Mediolanum profectus, ibi vehementi exhaustus morbo, brevi e mortalium societate excessit. Vir fuit religione ac doctrina clarissimus, & morum integritate admirabilis. Corpus in ecclesia sanctæ Barbaræ sepulcro traditum fuit, ubi præfecti hospitalis hæredes hanc ejus memoriæ epigraphem posuere:

Augu-

Augustinus Cusanus
De collegio J.C.
Mediolanensis
Ex clerico & auditore
Cameræ apostolicæ
Presbyter cardinalis,
A concilio Tridentino interpretando,
A consultatione episcoporum,
Ac minorum Conventualium
Corrector,
Vir summa in Deum religione,
Ac in pauperes pietate,
Annum ætatis suæ
Sexagesimumsextum agens,
Relicto sui desiderio,
In patriæ sinu
XX. *Octobris* MDIIC.
E *vita migravit.*

Præfecti hospitalis M.
Hæredes
Cardinali & civi optime merito
Grati animi
M. P.

XXIX. Octavius Aquivivus Aragoneus Neapolitanus utriusque signaturæ referendarius, dein Viterbii ac Patrimonii præfectus, necnon Pontificiæ domus magister, a Gregorio XIV. diaconus cardinalis sancti Georgii in Velabro renunciatus est: mox in ordinem presbyterorum relatus, titulum sanctæ Mariæ de Populo, quo dimisso, alium sanctorum Johannis & Pauli optavit. A Clemente VIII. Avenionensi legatione donatus, celebri apparatu in urbem illam ingressum habuit, quem gallice scripsit Johannes Ferandus, ejusque copiam mecum perhumaniter communicavit vir Cl. Antonius canonicus Sanfelicius alibi ob notam literarum peritiam merito laudatus. Toto enim clericatu, & regularium ordinibus stipatus, præeunte archiepiscopo Francisco Maria Taurusio congregationis Oratorii Romani jampridem presbytero, deinde in cardinalium collegium adscito, necnon aliis urbis magistratibus ingressus est. Inter episcopos, aliosque illustris notæ viros, qui legatum comitati sunt, legi Antonium Giannottum Patavinum secundum Urbinatis ecclesiæ archiepiscopum, quam in metropolim Pius IV. erexerat, ibique pro-legati munus implevit. Arcubus in triumphi speciem, adpositis passim inscriptionibus, legati ingressum Avenionenses ornarunt, quas omnes sedulo Ferandus collegit. Monetas cum ejus familiæ insignibus toto legationis tempore excusas

cusas fuisse, monetæ ipsæ, quæ adhuc supersunt, testantur. Quum autem summa omnium laude legationem expleverit, Neapolitanæ ecclesiæ archiepiscopatu, Alphonso Gesualdo amplissimo cardinale rebus humanis exempto, a Leone XI. Pontifice decoratus, ejus possessionem iniit Paulo V. sedente, ibique sibi commissam ecclesiam verbo & exemplo, doctrina & consilio strenue administravit. Præter humanarum literarum, quas expolitas vocant, cognitionem, quibus magnopere excultus fuit, græcas etiam literas calluit, ac in sanctorum patrum libris assidue versatus, ecclesiastica eruditione mirum in modum excelluit. Commendatur Octavius cardinalis a profusa ejus in eleemosynis erogandis liberalitate, ceterisque, quæ virum ecclesiasticum decent, virtutibus. Contracta demum ægritudine, & morbo ingravescente animam egit Neapoli anno millesimo sexcentesimo duodecimo, suique testamenti exequutorem Johannem Paulum Sanfelicium virum integritate ac prudentia spectabilem designavit. Nuper præ manibus habui Andreæ Matthæi Aquivivi volumen *illustrium & exquisitissimarum disputationum*, cujus præfationem Julius Bellus Justinopolitanus ad Octavium Aquivivum cardinalem archiepiscopum Neapolitanum inscribit. Ejus corpus in metropolitana ecclesia sepulcrum habuit, in cujus pavimento hæc ære & marmore circumornata jacet inscriptio:

Octavio Aquivivo Aragonio
Cardinali
Archiepiscopo Neapolitano,
Purpura & literarum maxime græcarum
Ornamento,
Majorum decora adepto,
Quæ fuerunt e republica Christiana,
In Pontificiis præcipue comitiis,
Atque in Avenionensi legatione
Quum arderet provincia civilibus discordiis,
Arderent bello Galliæ,
Strenue cuncta exsequuto,
In omni vita
Singularem magni consilii,
Excelsi animi laudem promerito.

D. Franciscus Aquivivus marchio Aquivivæ
Ex D. Josia nepote duce Hadrianorum XI.
Pronepos posuit.
Obiit anno salutis MDCXII.
Natus annos LII.

Vivit hodie ex inclyta ejus familia Franciscus Aquivivus Cardinalis a Pontifice omnium maximo Clemente XI. assumptus, nuper apud Hispaniarum regem sedis apostolicæ nuncius, qui prudentia & animi magnitudine majorum exempla æmulatur.

Petrus

XXX. Petrus Aldobrandinus Romæ natus, origine Florentinus, Clementis VIII. fratris filius, florenti adhuc ætate a patruo Romano Pontifice inter diaconos cardinales purpura ornatus, deinde inter presbyteros adlectus, præ aliis ſanctorum Johannis & Pauli titulo præfuit. Vir fuit alacri animo, vaſtamque ſacri imperii molem patrui nutu cum eo ſuſtinuit. Eccleſiaſtici exercitus legati nomine imperator, Ferrarienſem ditionem ſine ferro & ſanguine acquiſivit, & Romanæ eccleſiæ reſtituit. Signaturæ brevium præfectura, & camerariatus munere auctus, mox in Galliam ad Henricum IV. regem ſedis apoſtolicæ legatus, necnon ad Emanuelem Sabaudiæ ducem acceſſit, quos pacis vinculo feliciſſime conjunxit. Hinc Ravennatis eccleſiæ archiepiſcopatu inſignitus, poſt Clementis patrui obitum præſens illum adminiſtravit. Demum epiſcopus Sabinenſis Romæ obiit, Gregorio XV. in Pontificem electo, ejusque corpus in æde ſanctæ Mariæ ſuper Minervam in majorum pernobili ſacello tumulo traditum fuit.

Camillus Burgheſius Romanus, origine Senenſis, inter abbreviatores a Gregorio XIII. cooptatus, ex utriusque ſignaturæ referendario, & Liberianæ baſilicæ vicario, Bononienſi pro-legatione auctus eſt, & cameræ apoſtolicæ auditor renunciatus. Apud Philippum II. Hiſpaniarum regem extra ordinem Pontificis nuncius, in reditu Romam

Ee ij a Cle-

a Clemente VIII. purpura decoratus, ſanctorum Johannis & Pauli titulum accepit, quo relicto, alterum ſancti Chryſogoni optavit. Vicarii Pontificis officio in Urbe functus, ingenti cum laude & juſtitia ſibi viam ad Pontificatus apicem ſtravit. Etenim Leone XI. e vivis erepto, communi patrum ſuffragio ad apoſtolicam cathedram evectus, felici imperio Pontifex ſedit annos quindecim, menſes octo, & dies tredecim. Ejus corpus in ampliſſimo Burgheſiorum ſacello Virgini ſacro, ab eodem Paulo ſumptu maximo, & inſigni cultu a fundamentis in Liberiana baſilica ædificato depoſitum habuit, quod ſibi vivens Pontificia majeſtate dignum erexit, ibique hoc ſepulcrale inſculptum eſt elogium:

Paulus V.
Pontifex Maximus
Patria Romanus
Ex Burgheſia familia,
Cui perpetua vitæ innocentia
Et ſpectata virtus
Ad inſignes quosque honores
Gradum fecit.
Bononiæ pro-legatus præfuit,
Mox a Gregorio XV.
Cauſſarum cameræ apoſtolicæ auditor
Creatus,

Et

Et a Clemente VIII.
Ad Philippum II. Hispaniarum regem
De gravissimis rebus legatus,
In amplissimum ordinem cooptatus,
Inter generales inquisitores adscriptus,
Et Urbis vicarius electus,
Quum omnes tantorum munerum partes
Summa cum laude obivisset,
Ad summum Pontificatum,
Leone XI. e vivis erepto,
Florens adhuc ætate
Incredibili patrum consensu
Evectus est.
Quumque vigili sollicitudine securitatem,
Annonæ copiam,
Justitiam, & quietem
Populis ecclesiasticæ ditionis,
Concordiam vero & pacem
Universo Christiano orbi
Semper præstitisset,
Religionem summa pietate coluisset,
Urbem magnificentissimis ædificiis
Ornasset,
Atque egregiis omnium virtutum officiis
Aditum sibi ad immortalitatem
Aperuisset,
E mortalibus raptus
Grave cunctis sui desiderium reliquit.

Sedit

Sedit in Pontificatu annos xv.
Menses viii.
Dies xiii.
Obiit anno salutis m dc xxi.
Die xxii. *Januarii.*

XXXI. Bernardus Macziejowski seu Ciolek Macceonius Polonus, episcopus primo Luceoriensis, & apud Sixtum V. Sigismundi III. Polonorum regis orator, postmodum Cracoviensis, demum ad archiepiscopatum Gnesnensem promotus, a Clemente VIII. cardinalitia dignitate titulo sanctorum Johannis & Pauli decoratus est. A Paulo V. ad eundem Sigismundum regem legati nomine missus, impositum munus optime implevit. Cracoviæ diem clausit extremum anno millesimo sexcentesimooctavo, ejusque corpus in ecclesia principe tumulum habuit. Hujus sepulcralis epigraphes in claustro cœnobii fratrum ordinis Minorum Cracoviæ his notis incisa legitur:

Spectet posteritas
Vivam probi viri effigiem
Bernardi Marziejovuski
S. R. E. cardinalis,
Episcopi primum Cracoviæ,
Deinde archiepiscopi Gnesnensis
Vitam præclaram imitetur.

Hic

Hic quicquam honoris ac dignitatis,
Quod in eum caderet domi forisque,
Fuit amplissimis virtutibus consequutus,
De ipsa quoque triumphavit invidia.
Civis, senator, pontifex,
Inter paucos pius,
Magnanimus, liberalis,
Fortunatus in omni vita,
Si turbatam patriæ tranquillitatem,
Quam sollicite curabat,
Ante obitum restitutam vidisset,
Hoc unum perpetuæ felicitati defuit.

Moritur Cracoviæ XIX. *Januarii*
Anno a partu Virginis M DC VIII.
Aetatis suæ LX.

Carolus Emanuel Pius Ferrariensis a Clemente VIII. diaconorum cardinalium, deinde ab Urbano VIII. presbyterorum ordini adscriptus, inter alios titulo præfuit sanctorum Johannis & Pauli. Hinc per omnes Romanæ ecclesiæ episcopatuum gradus ad Ostiensem progressus, sacri collegii decanus occubuit anno ultra millesimum sexcentesimo quadragesimoprimo, ejusque cadaver in templo nominis Jesu æneo humi adposito monumento sepulturam obtinuit his notis eidem insculptis:

Ossa

Ossa
Caroli cardinalis Pii
Sacri collegii decani.

XXXII. Decius Carrafa Neapolitanus utriusque ſignaturæ referendarius, in Luſitaniam primum collector apoſtolicus deſtinatus, mox archiepiſcopus Damaſcenus adlectus, in Belgium adiit ad Albertum Auſtriæ archiducem, deinde in Hiſpaniam ad Philippum II. regem ſedis apoſtolicæ nuncius: e quo munere feliciter adminiſtrato a Paulo V. Pontifice ad purpuram vocatus eſt titulo ſanctorum Johannis & Pauli. Interea Neapolitana eccleſia, Octavio cardinale Aquivivo defuncto, paſtore viduata, eam Paulus Decio reluctanti & invito regendam admovit, quam plurima vigilantia & ſedula opera gubernavit. Cathedralem ædem pluribus in locis fatiſcentem magno impendio reparavit ornavitque, & ſacris Cœlitum reliquiis locupletavit. Nobiliſſimæ archiconfraternitatis Peregrinorum Neapolis incremento, in cujus ſociorum ordinem adſcriptus erat, toto animo ſtuduit, eamque ſummo amore ad exitum uſque vitæ dilexit; & licet graviori curæ paſtoralis ſollicitudine occupatus, illam tamen ſæpenumero præſentia coluit, ibique admirabili exemplo ſacris pietatis exercitiis vacavit. Largis identidem auxit muneribus,

&

& aliquando ære destitutam pecunia sua munifice adjuvit: quod sane præstitit anno Jubilæi supra millesimum sexcentesimo vicesimoquinto, quo societati nimia peregrinorum copia gravatæ ingenti subsidio profecit; unde illa tot nominibus clarissimi cardinalis memoriæ devinctissima ejus inter alias benefactorum servat imaginem. Id vero pietatis genus nedum Decio singulare fuit, sed etiam commune societas admirata est in amplissimo cardinale Jacobo Cantelmo item archiepiscopo, qui nihil omisit, quod optimi præsulis, & amantissimi fratris officium spectaret. Hinc Decius quum adversa valetudine laboraret, ac pene corporis salute destitutus fuisset, vehementi confectus morbo in vivis esse desiit anno millesimo sexcentesimo vicesimosexto, ejusque corpus in sepulcro tumulatum est, quod sibi mortis memor, & patruo Mario Carrafæ prædecessori in grati animi argumentum posuit, ibidemque hanc æneis literis compactam inscriptionem subjecit:

D. O. M.

Mario Carrafæ
Neapolitanæ ecclesiæ splendori
Decius
Sanctæ Romanæ ecclesiæ
Cardinalis Carrafa,

Ut duos archiepiſcopos dignitate,
Affines familia,
Unanimes amore
Unus lapis
Ad reſurrectionis gloriam exſpectandam
Contumularet,
Gratitudinis defuncto,
Mortis ſibi memoriæ
Monumentum vivens condidit
Anno M DC XVI.

Laurentius Magallottus Florentinus utriusque ſignaturæ referendarius, Bononiæ pro-legatus, ſacræ conſultæ a ſecretis præpoſitus, ab Urbano VIII. Pontifice inter diaconos cardinales relatus eſt. In ordinem deinde presbyterorum cooptatus, ſanctorum Johannis & Pauli titulum accepit. Ferrarienſi poſtmodum infula decoratus, paſtorale munus laudabili miniſterio ad mortem uſque complevit. Ferrariæ huic ſæculo valedixit anno milleſimo ſexcenteſimo triceſimoſeptimo, & in cathedrali eccleſia ſepulturæ traditus fuit.

XXXIII. Franciſcus Macchiavellus Florentinus Laurentii cardinalis Magallotti prædefuncti nepos Romanæ rotæ auditor, patriarcha Conſtantinopolitanus, & Coloniæ apoſtolicæ ſedis nuncius: mox Ferrarienſi epiſcopatu auctus, ab Urbano VIII. ad cardinalatum aſſumptus eſt titulo ſan-

ſanctorum Johannis & Pauli. E vita migravit Ferrariæ Alexandro VII. Pontifice, ibique in majori eccleſia tumulum habuit.

Gibertus Borromæus Mediolanenſis Friderici cardinalis nepos, ſancti Caroli pronepos a puero literas & cœlibatum coluit: philoſophiæ, theologiæ, aliarumque ſcientiarum in patria exacto curſu, Romam conceſſit. Urbano VIII. Pontifice utriusque ſignaturæ referendarius difficillimis temporibus ingruente bello in provinciis Patrimonii & Ferrariæ legati vices ſummo cum plauſu geſſit: necnon in Patrimonii ditione curatoris armorum, ſeu, ut vocant, commiſſarii munus implevit. Ab Innocentio X. Camillo Pamphilio cardinali adminiſter datus ad negotia, quibus Pontificum nepotes plerunque incumbunt, & ſacræ conſultationis a ſecretis præfectus, omnia cum laude peregit. Hinc majora promeritus ab eodem Pontifice cardinalium ſenatui adſcribitur, & titulo ſanctorum Johannis & Pauli donatur. Legationem in Æmilia noſtra adeptus, illam admirabili vigilantia, & magna adeo fama rexit, ut toto legationis triennio delicta magis ceſſare quam puniri dixeris. Minorum Conventualium ordinem in Romana curia patrocinio fovit: comitiis Vaticanis pluries interfuit, in quibus ſuffragium ſcripſit pro Alexandro VII., Clemente IX., & X., quo ſedente Romæ e vivis abiit, ejusque corpus in templo

sanctorum Ambrosii & Caroli in via Lata terræ mandatum est, ubi subjecta in presbyterio hæc jacet epigraphes:

D. O. M.

Giberto Borromæo
Mediolanensi
Sanctorum Johannis & Pauli
Sanctæ Romanæ ecclesiæ
Presbytero cardinali,
Qui egregias dotes
Generis ingeniique præstantes
Sacræ omnis
Et profanæ literaturæ accessione
Quum illustriores reddidisset,
Ad sacram purpuram
Per varios gravissimorum munerum gradus
Evectus,
Apostolicæ sedis
Magno reipublicæ Christianæ
Compendio
Præcipuam in arduis negotiis sapientiam,
Solertiam, constantiam,
Integritatem probavit.
Quumque eum vivere
Ratio rerum, ac temporum
Maxime posceret

Præ-

Præcipiti morbo correptus
Obiit vi. *Januarii*
Anno m dc lxxii.
Aetatis lvii.

XXXIV. Jacobus Roſpiglioſius Piſtorienſis Liberianæ baſilicæ canonicus Julium patruum, qui deinde Clementis IX. nomine Pontifex fuit, in Hiſpaniam ſequutus, ubi apoſtolicæ ſedis nuncium agebat, in Salmaticenſi academia philoſophiæ ac juris-prudentiæ curſum confecit. Mox in familiam Flavii Chiſii cardinalis Alexandri VII. nepotis adſcitus, pluries ad Galliæ regem negotiorum cauſſa acceſſit, quo etiam Chiſium cardinalem Pontificis legatum comitatus eſt. Hinc Bruxellas apoſtolicus internuncius miſſus, patruo interim Julio cardinale ad Pontificatum aſſumpto, Romam reverſus, ab eodem inter presbyteros cardinales titulo ſancti Sixti adnumeratur, quo poſtea relicto, ad alterum ſanctorum Johannis & Pauli gradum fecit. Toti eccleſiaſticæ ditioni regendæ præpoſitus, conceptæ de ſua virtute exſpectationi plane reſpondit. Liberianæ baſilicæ archipresbyteratu, quem Antonius Barberinus cardinalis ſponte dimiſerat, decoratus, ejusdem baſilicæ portam ſanctam anno Jubilæi ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſeptuageſimoquinto aperuit, & pro illo, quum a morbo detineretur, Ludovicus Portocarrerus Cardinalis

dinalis sollemni apparatu clausit. Clericorum regularium infirmis ministrantium, necnon Minimorum sancti Francisci de Paula ordinum habuit patrocinium. Pro admittendo in Urbem monialium Visitationis instituto, cujus sanctus Franciscus Salesius conditor fuit, quatuor aureorum millia larga manu libentissime erogavit: & majora præstitisset, nisi invida morte præreptus, ingenti Christianæ reipublicæ detrimento supremum obiisset diem anno millesimo sexcentesimo octogesimo-quarto. Vir fuit apud omnes clarissimus nedum patrui Pontificis gloria, cujus magnis cineribus in Liberiana basilica conditis adhuc post mortem pietatis fama in hominum ore versatur, sed & sua, qua eminuit, virtute; cujus consiliis supremi reges in gravissimis regnorum negotiis utebantur, utpote principis nonnisi ad maxima nati. Ejus corpus in sepulcro Liberianæ basilicæ canonicorum absque ullo inanis gloriæ signo fuit tumulatum.

XXXV. Fortunatus Carrafa Neapolitanus Caroli cardinalis, & Gregorii ordinis Jerosolymitani magistri frater, sub patrui Simonis Messanensis archiepiscopi disciplina bonis moribus informatus, eo ab humanis erepto, Neapolim profectus, plura ibi religionis edidit exempla: pia nanque loca, quæ inter Montem septem operum misericordiæ, religiosi animi significatione prudenter administravit. Hinc Innocentius XI. Pontifex, quum Fortunati vitæ

vitæ integritatem cum laude & admiratione intellexerit, illumque propterea ad Romanæ ecclesiæ præsidium satis idoneum putaverit, presbyterum cardinalem renunciavit, & titulo sanctorum Johannis & Pauli præfecit. Episcopatu Aversano, Paulo fratre decessore defuncto, donatus, in ejus curam adeo nervos omnes intendit, ut apostolicarum missionum cathedralis ecclesiæ Neapolis congregationi indulserit, quod ejus sacerdotes quando libet missiones ubique in tota diœcesi peragere possent, quorum inde labores Aversana ecclesia fructu prope admirabili probavit. Ab Innocentio XII. Æmiliæ legationis ministerio auctus, ad illud obeundum adversa nimis valetudine præpeditus nunquam accedere potuit; quamobrem illam post annum dimisit. Ejus autem vices ingenti cum plausu gessit pro-legati nomine Thomas Ruffus nuper inter Cardinales a CLEMENTE XI. Pontificum maximo cooptatus, princeps religione, prudentia, & generis nobilitate spectabilis. Humilitatem, justitiam, ceterasque optimi præsulis virtutes Fortunatus maxime coluit. In eleemosynis erogandis liberalis plures Neapolis, & Aversæ sacras ædes argenteis muneribus, aliisque beneficiis ditavit; necnon argenteam reliquit arcam, ut ibi corpus venerabilis servi Dei Francisci Olympii Clerici regularis conderetur, quem singulari amore in vivis dilexerat, quoties illum Romana ecclesia

cultu

cultu dignum judicaverit. Neapoli vitam cum morte commutavit anno ultra millesimum sexcentesimo nonagesimoseptimo, die decimasexta Januarii, cujus extremæ ægritudini præsto fuit Jacobus Cantelmus cardinalis Neapolitanus archiepiscopus, eique diuturnam operam præbuit. Hinc corpus Aversam delatum fuit, ibique in funebri apparatu perdoctam habuit orationem Emanuel Cicatellus vir omni eruditione versatus, Neapolitanæ ecclesiæ canonicus theologus, deinde Abellinensis antistes, qui communem patriæ jacturam elegantissime deploravit. Neapoli quoque apostolicarum missionum presbyteri lugubria ejus animæ exsequiarum persolverunt officia, in quibus illius congregationis presbyter Philippus Anastasius, hodie Surrentinæ ecclesiæ archiepiscopus pererudita oratione gravem tanti principis mortem indoluit. Corpori in Aversanæ civitatis cathedrali æde sepulto hoc suppositum exstat elogium:

Fortunato Carrafæ
Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali
Episcopo Aversano,
Caroli cardinalis amplissimi,
Et Gregorii ordinis Jerosolymitani magistri
Germano fratri,
Innocentia vitæ,
Prudentia, & morum suavitate,
In

In utraque Sicilia, aula Romana,
Et Ravennæ legatione
Pietate erga Deum,
Miſericordia in pauperes,
Zelo animarum de regenda eccleſia,
Quum majores ſui per annos octoginta
Meritiſſime præfuerint,
Commendatiſſimo.
D. Julia Carrafa ex fratre neptis
Buteræ, Rocellæ, & S. R. I. princeps
Anno Domini M DC XCVII. *P.*

XXXVI. Fabricius Paulutius Forolivienſis Coſmo patre Calbuli comite, Luciana Albicina matre tertia Aprilis anni ſupra milleſimum ſexcenteſimi quinquageſimiprimi natus, Romam ab ineunte adoleſcentia cum Joſepho fratre profectus, apud magnum patruum Franciſcum Paulutium cardinalem (quem de Romana eccleſia egregie meritum Alexander VII. Pontifex in ampliſſimum ordinem cooptaverat) in collegio Romano bonis literis, & liberalibus diſciplinis diuturnam operam navavit. Eo autem triennio poſt rebus humanis exempto, Carolus Paulutius Franciſci cardinalis nepos vir doctrina, & rerum peritia clariſſimus, qui Martium Ginettum cardinalem apoſtolicæ ſedis legatum amicitiæ cauſſa Coloniam ſequutus, a ſecretis legationis, deinde datarii munere ornatus fuit, ibique

que ab Urbano VIII. inter utriusque ſignaturæ referendarios peculiari diplomate adlectus, adoleſcentem Fabricium defuncti patrui loco ad omnem virtutem inſtituendum curabat. Verum anno vix elapſo Carolus ſupremum obiit diem, & Fabricius adverſum conſtanti animo, ut alios ferre ſolet, tulit caſum, quo ſibi raptos vidit præcipiti morte quos uti parentes colebat. Hinc ſub Coſmi patris diſciplina, qui deinde Romam acceſſit, ſtudiorum philoſophiæ, theologiæ, & legum emenſo curſu, ſacris addictus, montis Sarcii abbatia cumulatus, laurea doctorali in Romano archigymnaſio inſignitus, & in literariis exercitationibus dudum verſatus, ſibi viam ad honores, quos jam merebatur, aperuit. Eccleſiaſticæ academiæ, quæ hodie in amplissimo *de propaganda fide*, ut vocant, collegio eruditorum patet ingeniis, primum erigendæ operam cum aliis adhibuit, ubi doctiſſime ſæpe ſæpius diſſeruit, & quoties diſſerentis copia non erat, extra tempus diſſerendi munus implere omnium admiratione conſuevit. Præterea ſacræ condendæ domui, quam *divinæ pietatis* nomine appellant, inter alios ſpectatæ religionis & generis præſtantia illuſtres, manum admovit, opus plane Romanæ urbi perutile & neceſſarium. Nobilium virorum congregationem apud ſocietatis Jeſu presbyteros præſentia coluit, necnon ſacerdotum Miſſionis domum in monte Citatorio ſitam, & arctiſſima inter

cete-

ceteros usus est necessitudine cum Johanne Francisco Albano, Sperello Sperellio, Balthassarre Cincio, Laurentio Casono, & Carolo Augustino Fabrono, quorum primum ad apicem Pontificatus assumptum, aliosque inter purpuratos patres ob virtutem exantlatis laboribus comparatam adscriptos gratulabundi videmus.

Itaque Pontifex Innocentius XI. optimæ indolis, & morum probitatis fama permotus, Fabricium annos quatuor supra triginta natum Maceratensis & Tolentinatis ecclesiæ infula decoravit; atque a sapientissimo Cardinale sacri senatus ornamento Caspare Carpineo Pontificis in Urbe vicario in æde Vallicellana fuit episcoporum more ordinatus. Mox ad provinciam sibi commissam implendam accedens, clerum & ecclesiæ cathedralis canonicos mirifice composuit, humanitate obstrinxit, & ea prope mansuetudine sibi conciliavit, qua etiam pueros Christianæ fidei rudimenta miro humilitatis exemplo edocebat. Civitatis beneficio prospiciens hospitale invalidorum erexit, & æquis legibus instruxit. Pluries totam lustravit diœcesim, & diœcesanam synodum, cujus salutaria decreta typis vulgata sunt, bis celebravit. Sæpe ad populum sermones habuit, ad quem optimis moribus imbuendum enixe incumbebat. Presbyteros congregationis Missionis Maceratæ perhumaniter suscepit, quorum præsidio omnem clerum ecclesiasticis institutionibus

informavit; atque inter ceteros, qui in id ſedulam operam adhibuerunt, ſingulare fuit ſtudium Julii Cæſaris de Rubeis,hodie collegii de propaganda fide rectoris, viri religione æque ac doctrina commendatiſſimi. Tolentini Coſmum III. Magnum Etruriæ Ducem, Principem pietatis & juſtitiæ laude longe clariſſimum, quum Lauretanam domum colendam adiret, honorifice excepit, & ſancti Nicolai Tolentinatis reliquiis inſigni admodum exiſtimationis argumento donavit: ibique epiſcopale palatium nimio annorum decurſu labefactatum reſtituit.

Johanne Franciſco Ginetto cardinale Firmanæ eccleſiæ archiepiſcopo e vivis ſublato, Innocentius XII. Pontifex Fabricium hujus eccleſiæ adminiſtratorem renunciavit: cujus ſuſcepto miniſterio, de jure eccleſiaſtico acerrime tuendo ſollicitus, ampliſſimam diœceſin admirabili vigilantia perluſtravit, in quam novum ſanctimonialium ordinis Prædicatorum ſtrictioris obſervantiæ inſtitutum a venerabili ſorore Maria Hiacyntha religionis fama præſtanti conditum induxit, & duo cœnobia promovit, idque pridem Maceratæ fundato monaſterio admiſerat, ejusque regulas ibi probaverat.

Quum autem Innocentius gravioribus univerſalis eccleſiæ negotiis Fabricium implicare cogitaverit, illum anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto Coloniam Agrippinam ad tractum Rheni ſedis apoſtolicæ nuncium deſtinavit. Quanta hinc fuerit

pro

pro impoſito munere obeundo prudentiſſimi præſulis in rebus agendis peritia, & quantam apud omnes nedum Catholicos, verum etiam Heterodoxos ſibi nominis laudem comparaverit, ſatis pro dignitate commendari non poteſt; quum illorum plures ejus opera, & morum comitate illecti, hæreſi abjurata, Catholicæ eccleſiæ communionem acceperint. De Chriſtiana diſciplina ſollicitus, ut illam reſtitueret, totus in eo fuit: ſacræ confirmationis chriſmate, quod jampridem pauci miniſtraverant, admirabili exſultatione ingentem adeo hominum multitudinem ſtatutis eccleſiæ ritibus inunxit, ut marmorei presbyterii cancelli præ nimia confluentis populi frequentia magnam vim paſſi, fuerint amoti: deinde viros, qui eccleſiæ nomen dederunt, nobiliſſimæ civitatis conſulens beneficio, ad ſacros ordines pluries aſſumpſit. Plerique Germaniæ principes, potiſſimum Imperii electores Fabricium ſingulari amoris maximi ſigno proſequuti ſunt, eumque ſemper ſummo in honore habuerunt. Lovanii theologicæ facultatis dogmata palam propugnata ejus nomini fuerunt inſcripta, & plures librorum in tota Germania, qui in vulgus editi ſunt, factæ deditiones.

Colonia, ubi egregia cum laude, & Romanæ eccleſiæ ſplendore Chriſtianam rempublicam procuravit, Pontifex Innocentius in Poloniam apud Auguſtum II. regem extra ordinem nuncium dire-

xit,

xit, idemque, ut pro dignitate ſedis apoſtolicæ grave munus impleret, ſex aureorum millia regali munificentia Fabricio juſſit perſolvi. Compoſitis ibi, quæ fervebant diſſidiis, ab eodem Pontifice Romam accitus, paullo poſt inter Cardinales vulgatus, in quorum ordinem jam prius adlectus fuerat, & titulo auctus ſanctorum Johannis & Pauli, adepta purpura Romanam aulam, & bonos omnes, qui virtutem ſudoribus partam præmio cumulatam eſſe gaudebant, ſuavi lætitia replevit. Suæ Maceratenſis eccleſiæ memor, argenteum ei calicem auro & gemmis ornatum atque inſigni elaboratum cælatura, pollubrum cum ampullis item argenteis, & perraro opificio elegantioribus nobili opere Auguſtæ Windelicorum confectum, pretioſum pluviale, aliaque ſacerdotalia indumenta (quibus etiam Tolentinatem eccleſiam locupletavit) munifice dilargitus, ſatis inde animi celſitudinem, qua tantus eſt, palam omnibus fecit.

Mox Innocentius poſtquam Fabricium Cardinalem renunciavit, inter patres adſcripſit, qui de Chriſtiana fide ad extremas uſque orbis provincias propaganda ſolliciti ſunt, & inter illos qui concilii Tridentini interpretationi, necnon epiſcopis & regularibus præfecti ſunt, adnumeravit. Hinc Ferrarienſis eccleſiæ cura, quam Dominicus Tauruſius cardinalis adminiſtraverat, eo fatis functo paſtore viduatæ, a Pontifice Innocentio Fabricio

ad-

admota fuit; eique ad illam proficiſcenti Maceratenſes beneficiorum memores, quibus ab illo aucti fuerant, arcubus in triumphi ſpecimen incredibili gratulatione ejus per civitatem tranſitum ornarunt. Quum vero Lauretum advenerit, ibique in venerabili domo ſacrum celebraverit, quod nunquam in itinere occupatus omiſit, ei crucem ſapphiris mirifice locupletatam liberali manu conceſſit. Ferrariam deinde aſſequutus bonis hominum moribus, & cleri diſciplinæ ſervandis magnopere ſtuduit.

Paſtorali ſollicitudine, & omnium lætitia luſtrata diœceſi, anno Jubilæi milleſimo ſeptingenteſimo Romam rediit, quo quum Innocentii Pontificis Chriſtianæ reipublicæ mœrore contigerit obitus, pro comitiis conclave ingreſſus, ibique a vigintiquinque Cardinalibus, quos Innocentius ad purpuram evexerat, adlectus, ut omnium ore quæ pridem de novo Pontifice eligendo in ejus cubiculo congregati loquuti fuerant, ceteris declararet, cum omnibus miro quidem animorum conſenſu, & admirabili conſtantia inter ſe concordibus convenit in ampliſſimo Cardinale Johanne Franciſco Albano, quem licet dudum lacrymis reluctantem, tamen hodie Clementis XI. nomine Catholicus orbis in Pontificia ſede auſpicatiſſime collocatum ſuſpicit & veneratur. Pontifex Clemens, qui Fabricii Cardinalis in rebus gerendis peritiam, ſoller-

lertiam, dexteritatem, prudentiam ſatis compertam habuit, eum in ipſo Pontificatus exordio ſtatus a ſecretis, ut vocant, ſibi delegit, & primum apoſtolici miniſterii adjutorem, eique negotiorum ſummam commiſit. Clericos regulares Minores patrocinio fovendos commendavit, quo etiam Picenæ nationis collegium, & ſanctæ Suſannæ monaſterium dignatur. In generali, quod nuper præfati Clerici regulares celebrarunt, capitulo præſens fuit, & perdoctam ad electores latine habuit orationem. Inſuper inter Cardinales, qui ſancti officii inquiſitionis tribunali, bono Pontificiæ ditionis regimini, regularium diſciplinæ, aulæ conſiſtoriali, ſacris ritibus, & eccleſiaſticæ immunitati præſident Clemens adjunxit; hisque omnibus ſedis apoſtolicæ muneribus ſedulo vacat, & jugi hominum plauſu, qui viciſſim prædicant in optimo Cardinale vitæ integritatem, religionis ſtudium, morum comitatem, ceteraſque omnes, quæ virum principem decent, virtutes. Præ his tamen eminet in eleemoſynis erogandis munificentia, quam ſemper ante alias coluit, quum paſtorali miniſterio detineretur. Ejus in illam amore maximo Deiparæ Virginis, quam *ab Igne* appellant, imaginem infinitis ut ita dicam prodigiis Forolivii, & in tota Æmilia commendatiſſimam regali ſumptu argenteo ornatu decorandam ſuſcepit, cujus feſtivam diem nuper primum in Urbe in æde ſancti Marcelli

ma-

magnifico celebratam cultu innumera ferme populi copia, quæ ad ſacram ædem acceſſit, reddidit inſigniorem, ad eamque totus prope Cardinalium ſenatus pietatis ſtudio convenit.

Fratrem habuit inter alios Cardinalis Fabricius Joſephum Ferdinandum, cujus ſupra memini, ex duodecim ſignaturæ juſtitiæ viris, Liberianæ baſilicæ vicarium, ingenii & doctrinæ elegantia notiſſimum, quem niſi præripuiſſet mors nimis immatura, in altiori gradu collocatum Roma vidiſſet: eique in æde Vallicellana, ubi etiam tumulum gentiles ejus habuerunt, humato hanc amantiſſimus frater, dum Coloniæ apoſtolicum nuncium agebat, ſepulcralem inſcripſit epigraphem:

D. O. M.

Joſepho Ferdinando Paulutio
Forolivienſi
Ex ſacri Romani Imperii
Comitibus Calbuli,
Franciſci cardinalis Paulutii
Pronepoti,
Signaturæ juſtitiæ votanti,
Congregationis Aquarum a ſecretis,
Congregationumque Conſultæ & Immunitatis
Prælato,

Eminentissimi archipresbyteri
Sanctæ Mariæ majoris
Vicario,
Tot tantisque muneribus par,
Dum meliora etiam promeriturus
Singularis prudentiæ,
Eximiæque mansuetudinis
Luculentissimum testimonium
Dabat in dies,
Immatura morte præreptus,
Universam Urbem
Maximo dolore affecit;
Illam etenim
A sacro cardinalium collegio,
Sede apostolica vacante,
Sibi commissam
Ab imminente lue
Servavit immunem.
Fabricius
Episcopus Maceratensis
Ad tractum Rheni nuncius apostolicus,
Johannes, & Aloysius
Fratri dilectissimo
MM. PP.
Obiit die XXX. *Octobris*
Anno MDCXCV.
Aetatis suæ XLIX.

Infe-

Inferius legitur Fabricii Paulutii primi Civitatis Plebis episcopi sepulcralis alia inscriptio, quam Franciscus cardinalis patruo de se benemerito posuit:

D. O. M.

Fabricio Paulutio
Ex comitibus Calbuli
Foroliviensi
Primo Civitatis plebis episcopo,
Eximiæ jurisprudentiæ
Et sacrarum literarum eruditione
Spectabili,
Cujus opera
Et in sacris libris exponendis,
Et in arduis negotiis expediendis
Christianæ reipublicæ præsto fuit.

Obiit ætatis suæ anno LXIX.
III. *kal. Februarii*
M DC XXV.

Franciscus cardinalis Paulutius
Patruo amantissimo
Et benemerito
P.

Ibidem medium Francisci cardinalis prostat monumentum a Carolo Paulutio nepote signaturæ justitiæ decano positum, & ad perpetuam posterorum notitiam honorificentissimo hoc elogio decoratum, quo magni viri præclaras dotes & de Catholica ecclesia multis nominibus meriti coram omnibus patefaceret :

D. O. M.

Francisco Paulutio
Ex Comitibus Calbuli
Foroliviensi
Sanctæ Romanæ ecclesiæ
Presbytero cardinali
Tituli
Sancti Johannis ante portam Latinam,
Qui
Annorum XXX. *spatio*
A secretis
Sacræ congregationis Concilii,
Simulque
Sacræ congregationis
Super controversias jurisdictionis,
Ac tribunalis fidei consultor,
Ob ingenuitatem,
Doctrinam, prudentiam
Semper aulæ Romanæ probatus,

A prin-

A principibus cultus,
A summis Pontificibus
Gravissimis quibusque negotiis
Admotus,
Atque
Ab Alexandro VII.
In testimonium virtutis optime meritæ
Ornatus purpura,
Cum ejusdem congregationis
Præfectura.

Obiit octogenario major
Die IX. *mensis Julii*
Anni M DC LXI.

Carolus Paulutius
Ex comitibus Calbuli
Signaturæ justitiæ decanus
Patruo benemer.
P.

Hinc Caroli Paulutii sequitur epitaphium, quod Cosmus, & Hieronymus fratris optimi memoriæ inscripserunt, cujus verba sunt:

D. O. M.

Carolo Paulutio
Ex comitibus Calbuli
Forolivienſi
Signaturæ juſtitiæ decano,
Qui primum
Germanicæ pro pace legationi
A ſecretis,
Cujus dein etiam datarius,
Mox
Sacræ congregationis Rituum
Itidem a ſecretis,
Et aliis muneribus exercitis,
Ingenio & doctrina præſtans,
Virtute potius
Quam morte matura
Præripitur
Aetatis ſuæ ann. XXXXVIII.
Salutis MDCLXII.
Die XXI. *Aprilis.*

Coſmus, & Hieronymus
Fratri
Amoris & honoris ergo
PP.

Hæc

Hæc Cardinalis Fabricii majorum elogia in æde Vallicellana exſculpta, quæ ut perennis illorum memoria ſit, libuit exſcribere. Pergit hodie digniſſimus Cardinalis rei publicæ totus prodeſſe, & licet curis gravioribus occupatus, literarum proſequi patrocinium, unde aliis materiem parat ad laudem, hinc inpoſterum majora daturus.

FINIS.

INDEX RERUM.

A

ss. Io-

L

M

N

O

P

R

Ra-

S

Scil-

Explicit Index Rerum.

CORRIGENDA.

Pag. 1. *lin.* 7. *corrige* afflicta
Pag. 30. *lin.* 2. *corrige* Antonius Pauli Masini
Pag. 59. *lin.* 20. *lege* Olaus
Pag. 96. *lin.* 11. *lege* ceterisque
Pag. 182. *lin.* 21. *supple* fuit.

ROMAE
Excudebat FRANCISCUS GONZAGA
in via Lata
M DCC VII.

Approbatione & permissu.

a–c⁴ A–Kk⁴ 2 folding plates hors-texte.

pp. XXIV, 263 e 2 tc. w.